[illegible]

VATES
Enthusiasmo Poëtico raptus.

QVOD FVERAT
... SSIMA
VS,
...M; VIDI, FACTAS
... ÆQVORE TERRAS.

INLVSTRISSIMO DOMINO,

DON. PETRO PACHECO GIRON,

PHILIPPO IV. REG

A CO

ET IN

DE LA SANC

SVMMO PR

&c.

DON. JOSEPHUS ANTONIUS GONZAL

DE SALAS

D. D. C.

ACCEDERE ad Divos, & ſæpè ita vocati Principes etiam Viri, Felices, ut grates agant, conſuevêre; Qui verò difficili Fato conflictantur, ut petant, ut rogent. Aſt mihi, quanquàm haut facilem Fortunam perpetior; & Petere, & Rogare, meo in primis ingenio adverſatur; utrunque officium obire, neceſſum eſt, cùm ad Te,

Virum Principem, nunc videlicet accedo. Gratum me Te convenire, sæpè proficuum, ratio postulat: Nec aliter postulet vel ipsum Ingenium meum (quod ei adversari inquam.) quin ut Te, dum convenio in præsentiâ, pariter Rogem, velis nimirum, Te ipsum præbere Summum, & Honorarium Arbitrum in admodùm contentiosam Dissertationem, quam adgredior.

Paradoxon jam pridem, Inlustrissime Præsul, venit in

in mentem, quod ſubitò ut animo complexum, nec ſat præſidiis munitum, & molibus, machinamentísque obvallatum, conferre duntaxat cum Noſtris adlubuit; quippe quod editum vernaculo ſermone, neutiquam uſquequaque eruditis hiſce decertationibus opportuno. Nihilominus Illud brevì ſecundis ventis curſum ſuum confecit: ac ſubinde, ab ſtadio, quod Ei præſcripſeram, exorbitans, & prætergrediens, Ita-

liam petiit, & potissimùm Romam, Transmontanam ambiens Censionem amicorum, & necessitudine etiam conjunctorum. Adiit tandem Eminentissimum Ioannem Cardinalem de Lugo, fratrem nostrum, cognatione matruelem, amore germanum; & Caput quoque Excelsum, tergemino Diademate conspicuum, languens tamen jam, & marcescens. Atenim ubique omnes, ubique enim, amplecti visi sunt ambabus, ut

ut dicitur, ulnis, ac nobis aſſentiri: licet veritum me fateor, nec immeritò ſanè, ob animorum deliberantium fluctuationem, poſſe Id tum primùm naufragari.

Nunc autem inauditum ipſum noſtrum Inventum en rurſus, Te auſpice, in Scenam prodit, ſed Orbis univerſi; Linguæ quippe, qua fecimus hîc loqui, ſocietas id efficit planè. Longè enim magis fulmentis undique ſtipatum, & ſeptum, necnon rebus haut

præ-

præter rem pluſculis locupletatum, aleam denuò Theatri ſubit: ſed eapropter cùm ejuſdem ex podio frequens ſit Auditor eruditiſſimus adfuturus, ex quatuordecim item, & ex ſummâ caveâ, nec adeò forsàn undecunque benigni; haut dubiò quidem indigere Te, ambigere non licet, tum Judice nempe, Mentis acie, & multiplici Doctrinâ, quibus polles, ornatiſſimo; tum deinde, ex quo emines loco, Pręſidio pręſentiori, & Propugnaculo. Qui

Qui utroque ex Optimatibus noſtris fungi munere quiret, ſi Te excipimus, Egregie Vir, facilis inventu non erit: Nec ad quem ego utique ſim obſtrictus, deferre ejuſcemodi obſequium. Itaq; & Duplici etiam vinculo unicè ecce cogor, hîc ad Te recurrere, Unicum mihi ambidextrum. *Optionem* † μονὰς *non patitur*, Comitia ferebant. Plures herculè illorum Martem, plures Venerem, plures Plutum duntaxat cogitant:

† Unitas.

Philoſophia interea ſordet, & ſqualet ; Cultores ejus algent, & eſuriunt. quippe amor ingenii, proh inverſi mores ! aditum Aulæ, ac Senatuum, præcludit ; vel ubi cùm, nullâ habitâ ratione avorum, ævi procellæ avitam rem auferunt. Sed ſatis irritarum vocum, ne fortè Venuſinus,

— Mutato nomine, de te
Fabula narratur, —

in me jam immurmuret. Et haut ſemel mores pariter corrumpi, cùm haut impari cor-

corruptelâ morum laborarint Imperia, Naturæ constantia est. Eleganter ille, quem invitus ego prætercam, conqueritur itidem de Primariis suis Viris: *Quis Philosophiam nunc, aut ullum Liberale respicit Studium, nisi Cùm ludi intercalantur, Cùm aliquis pluvius intervenit dies, quem perdere licet?* Et cetera plura, quæ nostris mirificè consonant. Nec secus & isthæc coævi Satyrici ipsummet attestentur ejusdem Reipublicæ: *Jactantur*

itaque, quacunque ratione possunt, Litterarum Amatores, ut videantur illi quoque infra pecuniam positi. — In hac enim Vrbe non Litterarum studia celebrantur, non Eloquentia locum habet, &c. Atenim contrà Tu, præstitum nobis præclarum nostrum decus, summâ quippe habitum existimatione, ad amplissimos gradus evectum Dignitatum, evehendúmque ad ampliores, modò jam velit illos tuus Genius perpeti, obviam nunc illicò prodis:

dis:& vel exagiturienti cuilibet petulantiùs novitium illum despectum Meritorum, ac Virtutum, tuo specimine, potiùs quàm digito Harpocratis, suades silentium.

Ceterùm, ut ad me revertar, cùm Te, inquam, quęsitum it Opusculum nostrum; ac, opus omnino illi esse Te Patrono, profitetur: Et vicissim, suscepto etiam eodem posse Te indigere, non desperat futurum. Minimè enim quolibet scripto

Ingenium tuum paſci, & paſci continuò Scriptis, ſat bene mihi pernotum, qui multis abhinc annis inter cultores tuos admiſſus, & amicos, penitiùs pol ſenſi, Parum tuo palato publicum multorum ſaporem movere ſalivam; immò à Te longiùs expuere. In priſcis Scriptoribus delectui ſanè locus non eſt, illis nanque cultum, & quid velut religionis, haut ſecus ac Sylvis, & Lucis, ævitas accerſit. Univerſi aſſiduè luſtrandi ſunt,

ſunt, univerſi verſandi; ęquè tamen neutiquam omnes: ſed plus ille, minus alter, prout ipſi nimirum & inter ſe præſtantiâ differunt; aut ingenio cujuſq;, rationíve ſtudiorum, quilibet eorundem conducit. Verùm enimverò & adhibendi quoq; neceſſariò erunt, nec infrequenter, Recentiores, quippe qui & multijugem condiunt Doctrinam jucundâ eruditione; & progreſsibus deinde eximiis promovent, atque producunt: Sed porrò cum de-

delectu adhibendi potissimùm; ingens inter eos verè intercedit discrimen; ut non alieno præjudicio, sed merito suo, plures posthaberi demereantur, pauci præferri. quanquàm Sortis nonnihil, quem *Genium* vocat, monumentis insuper Scriptorum prodesse, ut vivant, ut legantur, velit noster * Ille: nec satis esse, Ingeniosa haberi, nec Docta, nec Diserta, modò jam illud absit. Attamen subacta animi tui indoles, supra cæcutientem sublatior

* Epig. 60. lib. 6.

tior ejuſmodi Fortunam; ægrè feret inter humiliora ſordeſcere; nec ſuſtinebit imponi, daríve ſibi verba: immò quidquid ſublime non ſit, aut doctum, novúmve, contemnet illicò prorſus, ablegabitque: Dignum verò, quod probetur ſuo acri judicio, non prætermittet; exquiret potiùs, &, quod ubique non proſtat, enixè petet undecunque. Ego autem de meis lucubratiunculis magnificè adeò non ſentio, ut autumem ſcilicet, Eas

posse reddere Te Totum in illis, intentúmque auditorem. Hîc tamen Novitate rei, & Magnitudine, aures tuas perculsas; ac subinde avidas, & curiosas, indepturam nostram Dissertationem, nullus ego dubitem: quamvis & Argumenti dignitati illa sors non suffecerit (ut nostra imbecillitas est) & Culturæ, & Decoro. Sed mihi tum erit haut ineptè solatio, Ὡς nempè

Longinus Cassius. αἱ ὑπερβολαὶ μεγέθους φύσεις ἥκιστα καθαραί. Τὸ γὰρ ἐν παντὶ ἀκριβὲς, κίνδυνος σμικρότητος:

Ex-

Excellentem, & exuberantem Magnitudinem naturâ minimùm puram esse. Quod enim omni ex parte accuratum, & absolutum, periculum est, ne in parvum, & humile, degeneret. Sed omnium penes Te equidem Judicium volo, ac fidem Præjudicii tui appello; præcipuè tamen, utcunq; postea utrunque jam futurum sit, Tuum mihi Patrocinium exopto, atque flagito à Te,

Longè præclare Præsul.

Quem sospitet, & servet,

ac velit nobis diutiùs perennare incolumem.

SUMMUM NUMEN UNICITRIPLEX DEUS.

Mantuæ Carpetanorum ipsis Kalend. Ianuar. Ann. Iobilei

A

CHRISTO JESU DOMINO NATO

CIↃ IↃ CL.

EPITOMÆ
GEOGRAPHICÆ,
ET
HISTORICÆ,
PARS I.

UBI CONTINENTUR
DISSERTATIONES PRÆVIÆ
AD EPITOMAM
GEOGRAPHICO-HISTORICAM.

CN. POMPEIUS MAGNUS
EPIST. AD DIONYS. HALICARN.

Ἓν γὲ τοῦτο διϊσχυρίζομαι, ὅτι οὐκ ἔστι μεγάλων ἐπιτυχεῖν ἐν οὐδενὶ τρόπῳ, μὴ τοιαῦτα τολμῶντα καὶ παραβαλλόμενον, ἐν οἷς καὶ σφάλλεσθαί ἐστιν ἀναγκαῖον.

Hoc tamen unum affirmo, eum res magnas nullo modo consequi posse, qui non ejusmodi etiam audeat, & suscipiat, in quibus errare necessum est.

AD

AD
EPITOMAM
GEOGRAPHICO-HISTORICAM
DISSERTATIONES PRÆVIÆ.

MATERIA, & ORIGO GEOGRAPHIÆ, *ac exinde* PRÆSTANTIA. TERRA *duplex asseritur, Prima Cataclysmô obruta, Altera post Cataclysmum diversa.*

DISSERTATIO I.

TErra est planè [1] MATERIES illa, in qua nimirum GEOGRAPHIA versatur. Cùm TERRA dicimus, Globus ille ex Terrâ, Marique compactus intelligere est. [2] *In parte enim Orbis Terrarum & Maria sunt, quæ in unius æqualitatem pilæ coëunt.* Recto itaque ordine

MATERIA.

[1] *Materiam Artis eam dicimus, in qua omnis Ars, & ea facultas, quæ conficitur ex Arte, versatur: ut si Medicinæ Materiam dicamus morbos, ac vulnera, quòd in his omnis Medicina versetur.* &c. Cicer. 1. De Invent.

[2] Lucius Seneca Lib. 3. *Quæst. Nat.* Cap. 28.

ordine Opus hoc GEOGRAPHICUM adgredimur, si ejus sat Scire Materiem, Scientiæ videlicet ipsi facimus antecedere. Priùs igitur ediscamus TERRAM, illud opacum corpus Elementare, locatum in mediâ Mundi sede, & undiq; in sese nutibus suis conglobatum; Protoparentem item Hominis, omnium Principis creatarum rerum; ejusdemque cùm muneribus fungitur vitæ, & cùm vitâ jam functi, domicilium.

Dicta TERRA, inquit Varro Lib. IV. De Ling. Lat. *ab eo, ut Ælius* [Gallus] *scribit, quòd Teritur. Itaque Tera in Augurum Libreis scripta cum r uno.* Aliter enim à nomine longè etymon abiret. Sed Plautus, etsi ab eodem verbo deducit, non quòd *Teratur* vult; potiùs quòd homines *Terat*, id est, vexet, atque exagitet. Bacchidibus huc respicit:

—— *Potisne est Terra ut Terat hominem, atque prosternat?*

HUMUS item Latinis dicitur, rationémque ipse Varro reddit: *Infimus humilimus. ita quòd in Mundo infima*, HUMUS. Etiam & TELLUS. aiuntque Grammatici prisci, ubi de Differentiis Latini Sermonis agunt: TELLUREM *deam dici, & Terram frugiferam;* TERRAM *verò Elementum.*

mentum. Itaque à *Tollendo* appellata sit TELLUS, quia fructus scilicet ejus Tollimus. At quòd naturâ suâ & indole *Arida* sit, ARIDA pro Terrâ ἁπλῶς sæpè usurpatur Bibliis Sacris.

Ceterùm Appellationibus aliis pluribus insigniri divinis * τοῖς ἔξωθεν, observatum imus. Sub nomine *Rheæ*, *Cybelés*ve colebatur TELLUS. Ideò *Magna Mater* vocata Diva hæc, caput turrita, aliisque insignibus effigiata, quæ mirificè conveniunt Telluri, ut Varro Auctor est Lib. XVI. Rer. Divin. *Eandem* [Cybelem] *dicunt Matrem Magnam.* † *Quòd tympanum habeat, significari esse Orbem Terræ: Quòd turres in capite, opida: Quòd sedes fingantur circa eam, cùm omnia moveantur, ipsam non moveri.* Itidem culta & sub *Venere*. in ejus nanque, & Adonidis fabulâ, Mythologis testibus, *Venus Terra est*, & Sol Adonis. Pluribus pariter & *Isis* fuit, quæ eadem cum *Cerere*; quas & *Proserpina*, ut TERRAM etiam adumbret, symbolicè comitatur, quæ & *Maia* utique appellaretur. Paucis omnia Porphyrius Lib. IV. de Abstinent. Animal. *Μαῖα γὰρ ἡ αὐτὴ τῇ Περσεφόνῃ, ὡς ἂν μαῖα καὶ τροφὸς οὖσα. χθονία γὰρ ἡ θεὸς, καὶ Δημήτηρ ἡ αὐτή. Maia autem est Proserpina, quæ verè μαῖα, sive nutrix. Terrestris enim dea est, & eadem ac Ceres.* Sub Numine item

* *Scriptoribus externis, sive Gentilibus.*

† Quòd similis dicatur Tympano TERRA, quòd circulare illud sit, ut in Lapidibus videre est, vulgare. Aliunde quæsivit Aristoteles Libro 2. *Meteor.* quem locum singularem à nemine adhuc notatum vidi. Scilicet, Quia illa dividatur in *τμήματα, segmenta*, Zonis nempe, inquam ego, quæ & Tympanorũ præferunt speciem.

Opis honorem divinum promeruit. Festus: *Opis dicta est conjux Saturni, per quam volunt Terram significare, quia omnes Opes humano generi* TERRA *tribuit*. Ac denique Vesta nuncupata argutâ originatione, si audimus Nasonem in Fastis:

Stat vi TERRA *suâ, vi stando Vesta vocatur.*

Plura addere possemus, quæ * prætermittimus nunc. ut vix putem, Gentilium Theologiam ullum agnovisse beneficum Numen, qui cum non intercesserit TELLVRIS commercium. Immò cum *Cælo* ipso, deorum omnium sede, unicè ubique sociarunt. Ita visum in Magnis Samothracum Sacris. de quibus sic Varro Libr. IV. De Ling. Lat. TERRA *enim*, & CÆLVM, *ut Samothracum initia docent, sunt Dei Magni; & hi, quos dixi multeis nominibus — & hi, quos Augurum Libri scriptos habent, sic*, DIVI POTES, &c. Ita aliàs sæpè. Uti & Atheniensibus Οὐρανὸς καὶ Γῆ, *Cælum*, & *Terra* dicta passim; qui & habiti fuerunt dii Γαμήλιοι, *Nuptiales*, quasi Proligeni. Proclus Lycius in Platonis Timæum Comm. V. Καὶ ἔοικε διὰ ταῦτα τῷ Οὐρανῷ τούτῳ, καὶ Γῇ προσήκειν ὁ γάμος, ὡς ἐκεῖνον οὐρανὸν, καὶ Γῆν ἐκείνην ἐνεικονιζομένοις. ὃ δὴ καὶ οἱ θεσμοὶ τῶν Ἀθηναίων εἰδότες προσέταττον, Οὐρανῷ τε Γῇ προτελεῖν τοὺς γάμους. *Ac videtur iccirco, & Cælo illi, & Terræ convenire nuptias, quia in his imaginem sit videre*

* Adi D. August. Lib. 7. *de Civitat. DEI*, cap. 24. Sed Gerard. Ioannes Vossius sat abundè prosequitur Lib. 2. *De Origine, & Progressu Idololatriæ.*

videre Cæli hujus, & Terræ. Cujus gnaræ Atheniensium Leges statuerunt, ut ante nuptias Cælo, & Telluri Sacra fierent.

Verumtamen mirari jam quimus desinere, TELLVREM adeò esse cultum indeptam apud Ethnicos, si cum Ætheriis corporibus certare pariter videatur etiam in Sacris Litteris; Eædémque, velut paria, componant inter se *Cælum*, & *Terram* creberrimè, intelligántque solis eorum nominibus † *Mundi Vniversitatem*. Ac denique, quod potissimum est, die primo in primis *Fecisse* memoretur DEUS *Cælum*, & *Terram*. Immò aliunde initium ducere ipsius etiam Historiæ Sacræ, non putavit Chronographus Moses. Ut hinc jam optimo jure liceat animadvertere, ingentem de TERRA curam Menti Divinæ fuisse ab ipso scilicet illo universi primordio idque præ nos feramus, quàcunque in hac Dissertatione subinde progredimur.

† Nec aliter formulâ illâ, *Terram, & Aquam petere*, veluti quodã symbolo, Prisci significavêre, *Cupere sibi tradi Vniversã potestatem omnium rerum.* qui præbere pollicebantur, se imperium profitebantur accipere. De *Assyriis* locus Judithæ probat cap. 2. Orat. Nabuchodon. ad Holofernem, quę tantum Græcè exstat; de *Persis* Herodotus haut semel; de *Græcis* Plutarchus in Themistocle. Vtraque enim est Geographiæ MATERIES, quam exquirimus.

ORIGO.

Atenim de GEOGRAPHIÆ MATERIA jam edocti, proficiscimur ejus ORIGINEM rimari. Et licet existimari potesset, nec temerè quidem, Ab ortu scilicet ejusdem MATERIÆ, in qua eadem GEOGRAPHIA versatur, Eandemmet usque derivari; Ortúsque ille in principio adeò, & ante sæcula ipsa se obvium præ-

buerit: exinde tamen non petendum Artis initium esse, decernimus. adhuc quippe tunc *Terra erat inanis, & vacua*, teste eodem Historico: hoc est, deformis quædam Elementaris materies, & quæ lateret sub aquis. Neutiquam tamen abest longiusculè, nam die tertio primi illius egregii Hexahemeri subnectit Moses: *Dixit* DEUS: *Congregentur aquæ, quæ sub Cælo sunt, in locum unum, & appareat* ARIDA. *Et factum est ita*, &c. *Et* iterum *ait*: *Germinet* TERRA *herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum, faciens fructum*, &c. Apparuit igitur, ejus sententia est, tunc primùm TELLUS; Proximéque ei integer subinde accessit ornatus: ubi viventia nimirum omnia quirent foveri, unde & itidem ali; homo autem inprimis, qui præesset omnibus. Protulit enim in lucem Illa faciem suam, superficiémve, areaq; comparuit amplissima; quæ, si Auctori sideremus Lib. IV. Esdræ, qui cum tertio quoque audit hypobolimæus, sexcuplo quàm aquę major palàm assereretur. inquit Cap. VI. *Et tertiâ die imperasti aquis, congregari in septimâ parte, sex verò partes siccasti*. &c. At contrà Aristoteles, licet invitis aliis pluribus, opinatur, Aquam esse decuplo ampliorem. Cui & Cyrenaici Philosophi

losophi assensi videntur, putantes, Ut in Homine, qui habetur *Μικρόκοσμος*, *Mundus parvus*, facies duntaxat, manúsque nudæ exhibentur vestibus; ceteris abditis nimirum tegumentis: ita & in *Magno Mundo*, qui & pro Terrarum Orbe sæpenumerò usurpatur, & *Μακρόκοσμος* dicitur, ampliorem longè latéq; tractum contegi aquis, emicantibus hinc inde sparsim Terrarum particulis Continentium, Insulísque. nugæ nugacissimæ. quamquàm haut semel Terra cum Humano corpore conlata. Lucius Seneca pluribus Lib. III. Quæst. Natur. c. XV. *Adeóque Terram ad similitudinem Humanorum Corporum Natura formavit*, &c. * Picolomineus autem aptiùs metitur, plus censens aliquanto Terræ esse nudatum undis, quàm occulitum Mari, lacubus, fluminibus. Bodinus tamen propiùs veritatem, Tantam Maris ferè, quantam Terræ esse superficiem, conatur ostendere. Ubique nunc de universâ ejus extimâ plagâ loquimur, quam aquis exerit. Sed angustioribus, volunt non pauci, finibus Illam ante Diluvium contrahi; angustioribúsque post illud cœpisse habitari, prolatis longè latéque pomœriis. & meritò quidem, adeò tot plures chiliades annorum subinde superfuturam, quibus

* *De Quantitate Terræ, & Aquæ Lib.*

quibus largiùs Populos propagari consentaneum.

Etenim ergo quidquid tunc Aridi è congregatione exiit aquarum tertio illo die, interstinctum scilicet aquis ipsis multiplicibus, Materiem, tunc jam exactam, præstitit Geographiæ; Initiúmque, Originemve. Illicò nanque variegari illud contigisse, indubium est, ingentibus Internis Maribus, Externísque, paludibus, amnibus; distinguíque montibus, & collibus pariter, qui extollerenrur hinc illinc; ac vallibus etiam, quæ deprimerenrur utique: Insulas item foras prodiisse, quas ambirent undæ; Peninsulas etiam, quæ isthmis ad Continentem alligarentur. Et cetera in summá, quibus nunc liquet exornari Tellurem, minimè ab Eâ & tunc primùm absuisse, in confesso est. Nam tornari ante Diluvium Terram, *ut nihil fieri posset rotundius*, uti loquutus Cicero; itaque prorsus & Montium tumulis, cacuminibúsque caruisse tunc primùm, ut puridè nonnulli senserunt, inficiari cum DD. * Damasceno, & † Basilio, necessum planè. Nequaquam à primâ origine satis consultum ejus integritati foret, partiúmque contextui, absentivis scilicet scopulis, ac rupibus. Montifragos

* Lib. 2. Fid. Orth. Cap. 9. & 10.
† Hom. 4. Hexah.

fragos illos videtur & Plinius adloqui, ut tandem resipiscerent. * *Omnia nanque, quæ usque ad hoc Volumen* [tricesimum sextum]· *tractavimus, hominum causâ genita videri possunt. Montes Natura sibi fecerat ad quasdam compages in Telluris visceribus densandas, simul ad impetus fluminum domandos, fluctusq; frangendos, ac minimè quietas partes coërcendas durissimâ sui materiâ.* Sed plura præterea adhuc aut firmant, aut cogunt. Adamum porrò, qui, cùm primùm effictus à DEO, præditus fuit Scientiis omnibus, & GEOGRAPHIÆ quoque donatum, quis revocet in dubium? Aliter enim nequiret fieri, cum TERRA in Universo sit & primis propè parissima pars, ut suprà jam visum: & GEOGRAPHIA in Cosmicâ Pædiâ nulli postponenda peritiæ. Materiâ itaque, Virtutéque, à tertio illo die præextitisse videtur GEOGRAPHIA; Actu verò, Habituque, ut loquuntur Dialectici, cùm primùm multiplici scientiâ impertitus Adamus. * Cap. 1.

GEOGRAPHIÆ igitur MATERIEM, & ORIGINEM patefecimus jam; & ex utriusque PRÆSTANTIA Artem ipsam EXCELLERE admodùm, reor ego, satis cuique probari. Exinde enim Rhetorum, Logicorumque filii docuerunt nos, Artium, Scientiarumque Genus, PRÆSTANTIA.

& Nobilitatem multigenam aucupari consuevisse. Sed occurrunt præterea, dum primordiis istis insistimus, nonnulla etiam, quæ tum, quòd huc spectantia sunt, præteriri non debent; tum maximè, quòd aliter ante Orbis Terrarum inundationem, ac post ipsam videlicet, haberi se cogitarint Viri doctissimi.

Syri Patres, qui ex Nostris herclè sunt haut infimi subsellii, modò argutiam spectes, modò doctrinam, senserunt planè, nec aversari Augustinus lib. xvi. *De Civit. Dei*, & Procopius Gazæus *in Genes.* Antichthones nempe, hoc est, adversis pedibus oppositos nobis, neutiquam fuisse ante alluvionem universalem. Sed plagam illam Telluris ingentem, cui hæc adversatur nostra, mansisse sub aquis: illinc nanque Mare nunquam recesserit, quousque post elapsum Diluvium, & Terrarum illud, quod Alter nunc dicitur Orbis, dederit se in Cœli conspectum. Idque illis mirificè consonat, quæ præmisimus supra de circumscriptâ magis tunc Terrâ habitabili. Hoc tamen, puto, sat benè non ceperunt homines nonnulli eruditissimi, Geneseos Interpretes. Putarunt quippe, illos innuere, contrarium id nobis Terræ spatium Australe, & post Diluvium quoque, non paruisse

tuiſſe detectum. Quæ mens Patrum nequaquam illorum fuit. Ac* D. Auguſtinus, qui in ſententiam adverſariam inclinat magis, aditum quidem reſpuit incolarum ad Terram illam, Terram ipſam non item.

* Eodem lib. cap. 9.

Progredimur, & adhuc nobis negotium eſt cum Patribus Syris. Illi item conceperant animo ab exordio Mundi in hunc modum Bifidam TERRAM, ubi degerent homines. Ultra Oceanum ſcilicet comminiſcebantur tractum quendam Terræ amplum valdè, patentiſſimúmque, quo ſitus eſſet Paradiſus. Circumcirca quod præterea erat reliquum ingentis ſpatii, poſt primi Parentis labem, in ſedem, habitationemque hominum conceſſiſſe, autumabant, ante Diluvium. Eodem verò exundante Cataclyſmo, ex illâ Paradiſi Regione in hanc Terram, quam incolimus, (quæ & priùs, diluvium videlicet uſque, nuda manſerat hominibus) Parentem ſecundum Noëticâ Arcâ trajectum eſſe cum prole. Moſes Bar-Cepha, & ipſe Syrus, Commentario, quem *De Paradiſo* inſcripſit, Syricâque deſcripſit Linguâ, tradit ex ſuis aliis luculenter. Ipſum & hîc audire, non erit injucundum. Ecce verba ex Andreæ Maſii verſione: *Sed alii exiſtimant, inde ex quo deliquerat*

Adamus, eáque Paradiso fuerat eliminatus, usque ad Diluvium mortales omnes mansisse in eâ Terrâ, quæ trans Oceanum circum Paradisum exstabat. hanc verò, quam nos jam habemus, Terram ad id usque tempus vacuam prorsus hominibus fuisse, desertamque. Illosque omnes Diluvio obrutos propter vitæ impuritatem periisse, uno Noâ, viro justo, cum tribus liberis atque conjugibus, superstite: ut reliqui tum fuerint soli octo mortales. Ceterum Noam Cedros in illâ, quæ ultra Oceanum est, Terrâ sevisse; atque ex illis Arcam illic struxisse; eáque vectos octo illos homines, cùm à Diluvio servati essent, ex illâ Paradisi Regione in hanc nostram pervenisse; non autem pedibus Maris vadum transmisisse. Ephrænus item, Syrus etiam Doctor eximius, fulcit & sententiam hanc Commentariis, quos in Genesim scripsit sermone Syrico. Latinè sic ipse sonat eodem Masio interprete: *Et ejecit eum ex eo Paradiso, assignavitque ipsi non procul ab eo. Benignitas, atque gratia scopus est perpetuus* D E O. *Habitationem dederat ipsi in Paradiso, sed prævaricatus est. Rursus ergo extrusit Paradiso, sed in propinquo. Sed & hîc perditissimi homines deliquerunt, & qui juxta Paradisum habitarent, indigni evaserunt. Arcæ igitur imperavit, ea in Armeniam illos portavit.*

Atenim satis jam sit & exoticæ id genus

GEO-

GEOGRAPHIÆ. nam licet ea huc accesserit nec importuna nunc, nec prorsus insincera; planè fide periclitatur. nec immeritò; nam longè abit à verisimilitudine totâ, doctrinâque rationi consentaneâ, quam præferunt Nostri. Præterquam quòd ipsi obtrudunt nobis commenta sua evanida quidem, ne dicam nugatoria, deserta omninò vel levidensi probatione; ubi fulcris erat in primis opus, ac pedamentis decumanis. Nihilominus muniverint fortassè nobis commodam παρασκευὴν ad sequentia; vicemque illa obibunt nunc quasi Intertignii (ut cum Vitruvio loquar) in nostrâ hacce Dissertatione, cum ea animosissima moliri jam cogitat stupendum ædificium. Audax ingenium ægrè sistitur parvis, ingentia sæpiùs ambit fabulosa tormenta; * præcipitaríque malit, quàm serpere. Itaque dum nos jampridem ORIGINEM exquirimus GEOGRAPHIÆ, magnum quid in mentem venit, novum, inauditum; & quod primâ fronte haut dubium est, quin Lectorem consternet: postidea tamen paullatim insinuans se, animus forsàn admodùm non abhorreat. Cogitatione id vel duntaxat complecti, nihil prorsus non erat; sed, quod jejunum sic, cum Doctorum insomniis Syrorum quiret certare.

* Arbitri ea mens est; Critici enim acerrimi judicii. *Sed Præcipitandus est liber Spiritus*, &c. Et Lapsus id genus commendantur Dionysio Longino περὶ ὕψους. Sed fusè jam ego ad Aristot. Poeticam pag. 193.

tare. Ast animus est, nos ultrà procedere, si suppetant vires; fulcimentísque Commentum nostrum stabilire. Si an verò quid studio profecerimus tandem, censio tantùm esto penes Viros Doctissimos. Opus igitur adgredimur jam, prius tamen humi procumbentes NUMEN id veneramur, qui

Omnipotens Genitor, Natusque, & Spiritus almus,
Una in Personis par Tribus est Deitas.

Opémq; ab illo petimus, luménque, flatumq;.

DUPLEX TERRA. Dum scrutor, rursus inquam, GEOGRAPHICAM ORIGINEM, duplicem illam enim reputatum iri, jam adducor, ut cogitem. Primam, anteriùs vidimus, tum primùm Delineari, cùm die tertio DOMINUS jussit, ARIDAM *apparere*. Eam autem aquarum Diluvii exundatione universam propè fuisse obliteratam, ambigere non licet. Altera ideò statim obtulit se Delineatio TELLURIS, quæ post Diluvium prodiit. Neutiquam adhuc hîc & requievit ingenium, progressum ulteriùs videlicet, ausúmque facinus tantum adversus Terrarum Orbem, ut par forsitàn ille perpessus non sit, postquam conditum scimus. RELINQUERE NIMIRUM, subiit tunc primùm nobis haut valdè cunctabundis, OBRUTAM IN POSTERUM AQUIS PRI-

PRIMÆVAM ILLAM TELLURIS SUPERFICIEM, QUAM MORTALES OMNES USQUE AD DILUVIUM INCOLUÊRE: ET VICISSIM, pariter etiam nos illicò conjecimus, ALTERAM ALIBI SUPERFICIEM TERRÆ, DIVERSAM PRORSUS AB ILLA PRIMÆVA, POST DILUVIUM PRODIISSE, SEDEM SUBINDE FUTURAM VIVENTIUM; CUJUS ET INCOLÆ HACTENUS SUMUS, ET ERIMUS USQUE AD DIERUM EJUS NOVISSIMUM COMPLEMENTUM. Ipſamque adhuc tueri ſententiam, ſtat fixum in mente; ac *Tollimus ingentes animos*, dum ad rem ecce jam accedimus.

Verum enim verò in limine ipſo objicit primò ſe venerandæ Antiquitatis Species, ſuadentémque exaudimus, Præjudicio uti nos oportere ſuarum operationum. * Nam cùm rebus, conſtet, ſæpè nonnullis præſtitiſſe, cum Bonæ Fidei pondere, & cultus inſuper (ut ſic dicam) horrorem: Vice versâ ſplendorem Veritatis etiam ſæpenumerò obſtruere mendacii caligine, ſatis notum eſt; perſpicuæque offundere rationi ambiguitatum, ac dubitationum tenebras. Primæ Operationis ſpecimine obvia cuilibet ſunt, ea tamen commeminiſſe hîc, parùm noſtrâ

* Corroboratur, quod Inveteraſcit: *Res noſtræ monumentis litterarum Inveteraſcent, & Corroborabuntur.* Cicer.

noſtrâ refert: cùm Alterius Operationis inſigne adeò documentum coëgerit nos, tot retrò ſæculis verſari altâ, & illuni nocte hæſitantes. Quidnam igitur aliud Syros illos impulit, Viros erudiriſſimos, ut talem machinarentur novam rerum, Naturæque molitionem, niſi ſubodorari fore omninò neceſſum, DUPLICEM TERRAM aſſignari, Alteram ſcilicet ante Diluvium planè aliam ab Alterâ, quæ poſt Diluvium apparuerat; & in umbris annorum obſcuriſſimis cæcutientes neſcire penitus, ut illud patrari adriſerit Divino Protoplaſtæ? Ea propter ipſi denique egregia nobis illa deliramenta obtulerunt, & aniles præterea fabulas, quas & forsàn ſubinde memoremus. Magni tamen eas exiſtimabimus habendas, ſi ubi noſtra actutùm videbitur exorbitare diſputatio, aviam confeſtim quiverint viam quoquomodo munire. Ubi etſi veſtigium mortalis ullum, quod prematur, non exſtet; lucis tamen radium aucupabimur, qui dirigat.

In principio etenim redire ad magnum illud Principium, refertum arcanis, & myſteriis, quod ſupra tetigimus, in primis ſanè duximus opportunum: *In principio creavit* DEUS CÆLUM, *&* TERRAM. Hebræum Prototypon habet

habet (quod ubique proferimus, & præferimus plerunque Xantis Pagnini versionem) בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ׃. Sic Moses, Sacræ Scriptor Historiæ, occepit Eam; & eâ, velut solemni, formulâ usus ibidem sæpè. Hîc autem CÆLI nomine *Empyreum* significari, sententia est Interpretum Antiquorum propemodùm omnium. Itaque *Cælum* hîc inquiens, & *Terram* creasse DEUM, memorat duplicem illam futuram sedem Unigeniti Filii, ac veluti contigit. Utut autem sit, nec CÆLUM incorruptum permansit, nec TERRA utique; utrunque quippe infectum fuit tunc primùm, cùm conditum, ob incolarum scelera. CÆLUM enim defæcatum redditum est, inde amoto, & expuncto Loco, ac Sede delinquentium, ut infrà observamus. Nec aliter TERRÆ accidisse, existimamus, infectæ & tunc etiam, coinquinatæ, & fæculentæ crimine illo ingente primi Parentis primo. Ablata igitur & pariter fuit aliquando etiam illa TELLUS. DOMINUS autem, ut primùm infecta exstitit, illicò execratus est Eam, Sacérque Historicus extulit Capite III. ejusdem Libri, Commate XVII. וּלְאָדָם אָמַר כִּי שָׁמַעְתָּ לְקוֹל אִשְׁתֶּךָ וַתֹּאכַל מִן־הָעֵץ אֲשֶׁר צִוִּיתִיךָ לֵאמֹר לֹא תֹאכַל מִמֶּנּוּ אֲרוּרָה הָאֲדָמָה בַּעֲבוּרֶךָ *Et homini ait* [DOMINUS]

Quia paruisti voci uxoris tuæ, & comedisti ex arbore; quam præcepi tibi dicendo, Non comedes ex eâ, Maledicta est terra *propter te.* Hoc est, propter peccatum tuum. Quocirca mentem aptè expressit Vulgatus Interpres, dicens: *Maledicta* terra *in opere tuo.* Unde & patefacere incepit Historiographus Terræ depravationem, actionémque adversus Eam struere: quousque de Eâ convictâ sententiam tulerit Dominus, puniendámque pariter exposuerit, Ipsam videlicet amovens; subindéque Alteram supponens diversam in ejus locum, defæcatam, ac mundam; ubi mansurus esset deinceps, manétque in finem usque hujus mansionis hominum. Planum itaque hoc facere, & evincere, noster hic labor est, nostrum hoc opus Sed nunc primùm Divinum Contextum secuti, hinc inde excerpimus Argumenta, quibus Caussa telluris adornatur.

Horrorem letalis sceleris primi præmisimus jam, & teli simul execrationis à Domino fulminati adversus tellurem. Et rursus deinde Ipsam malè audire offendimus ob scelus alterum, quod proximum primo, acerbum quidem fuit, & immane. & licet inquam proximum, inter utrumque interfuêre cxxx. anni.

De

De Caini fratricidio loquimur, qui Abelum interfecit anno, quo ſubſtitutus eſt illi Seth, hoc eſt, Mundi Conditi centeſimo ipſo triceſimo anno. De illo Hebræus Codex habet, quæ huc ſpectant, iſthæc verba DOMINI Cap. IV. Gen. com. IX. מֶה עָשִׂיתָ קוֹל דְּמֵי אָחִיךָ צֹעֲקִים אֵלַי מִן הָאֲדָמָה׃ *Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de* TERRA. Id eſt, Sanguinis à te in TERRAM effuſi. De TERRA igitur clamorem edebat ſanguis; & utriuſque, Caini nempe, & TERRÆ ipſius, truculentam aviditatem vociferabatur. HUMUS enim, & homo, infecti jamprimùm ſordibus primi peccati, ſitibundi exinde redditi ſunt ſanguinis humani; ambóque eo nomine *Maledicti* mutuò nunc exaudiendi, & execrandi. DOMINUS prædictis annectit וְעַתָּה אָרוּר אָתָּה מִן־הָאֲדָמָה אֲשֶׁר פָּצְתָה אֶת־פִּיהָ לָקַחַת אֶת־דְּמֵי אָחִיךָ מִיָּדֶךָ׃ *Nunc itaque maledictus tu è* TERRA, *quæ aperuit os ſuum, ut exciperet ſanguinem fratris tui de manu tuâ.* Diſertè ſatis verba ipſa perhibent, neutiquam noſtrâ egent interpretatione. Præterquam quòd dexterrimè Hebraizantes, *Maledictus*, aut *execratus tu de* TERRA, exponunt, *Ex parte ipſius* TERRÆ. hoc eſt, *Maledicta erit* TERRA *propter te: & quæ jam maledicta eſt propter peccatum primi Parentis, iterum propter te*

maledicetur. Ab omnibus ſcilicet; execrabuntúrque Eam omnes, deteſtabuntúrque. Aſt cruentam innocentiam ſitire Aridam, mirum in modum videtur Dominus exprimere hîc curaſſe; ut inde ejuſdem planè ſævitiam exaggeraret, & augeret. *Quæ aperuit os ſuum, inquit, ut exciperet ſanguinem, &c.* Addidit ideò etiam ipſummet & noſter Lucius Seneca feralibus nuptiis Polyxenæ illis, ubi ſacrificio perempta eſt, extremo ſplendens formæ emendatæ decore, apud monumentum Achillis:

*Extremâ Troade.

—— * *Non ſtetit fuſus cruor,*
Humóve ſummâ fluxit. Obduxit ſtatim,
Sævúsque totum ſanguinem tumulus Bibit.

Haut dubium igitur eſt, fruſtrà hæc Hiſtorico Sacro non extolli.

Progreditur itaque rectò ſatis ordine conflare accuſationem Hiſtoricus ipſus. Ea propter animi adeò perturbatione commotam, cunctorum jam ob hominum ſcelera, non aut hujus, aut illius ſingularis, exhibet Divinam Eſſentiam illam ἀπαθῆ, ut feciſſe in terra illos (proh dolor!) pœnituiſſe, proferat haut ſemel. En verba ex Capite vi. commate v.
וַיַּרְא יְהוָה כִּי רַבָּה רָעַת הָאָדָם בָּאָרֶץ וְכָל־יֵצֶר מַחְשְׁבֹת לִבּוֹ רַק רַע כָּל־הַיּוֹם׃
וַיִּנָּחֶם יְהוָה כִּי־עָשָׂה אֶת־הָאָדָם בָּאָרֶץ וַיִּתְעַצֵּב אֶל־לִבּוֹ׃ *Videns autem*
Domi-

DOMINVS, *Quòd multa esset malitia hominis in* TERRA, *& omnis imaginatio cogitationum ejus cordis tantummodò esset malum omni die; pœnituit* DOMINVM, *Quòd fecisset hominem in* TERRA, *& doluit in corde suo.* Hoc est, valdè vehementer. Etenim post improbitatis originem, qua TERRAM Adamus maculaverat, quemadmodum supra vidimus; Nepotum ejus satagit in præsentiâ DOMINUS indicare improbitates, quæ ab illâ primâ originem ducunt, & valdè TELLUREM infecerant. Delere ideò homines constituit igitur DOMINUS; & TERRAM pariter ipsam, ut subdit statim. Aliter tamen haberi se postea cum hominibus, inferiùs promittit, & cum TERRA videlicet: & aliter, inquam, cum utrisque, quia rudis, immunísque viseretur jam illa denuò labis ipsius primæ, uti & nos ibidem patefacimus.

Nunc verò appendiculam illam, bis additam, בָּאָרֶץ, IN TERRA, non importunè enucleandam esse, censemus. inquimus nanque, Si ibidem in judicium duntaxat adducerentur homines, ut ipsi tantùm supplicio afficerentur, satis erat dixisse: *Vidisse* DOMINVM, *Quòd multa hominum esset malitia* (ut sæpissimè aliàs loquitur) & abundaret, IN TERRA. Sed Ipsam

unà inſimulare, animum eſſe, & innuit, dum addidit; & addidit, ut innueret. Locum ipſum ſæpenumerò Dominus, ubi peccatum ingens commiſſum eſt, punire conſuevit, ut infra obſervamus. eóque reſpectu adjectum hîc in terra, cùm opus verbo illo alioquin non eſſet. Ut hinc jam certiores nos Hiſtoricus fecerit, Et terræ pariter, ac hominibus, periculum imminere: Tum ſcilicet, quòd Patria extitiſſet hominis nequam, & originem inde duceret: *Quòd feciſſet*, ait, *Hominem* in terra: Tum item, quòd fæcibus peccati Eam jampridem in cute obleviſſet Homo; intúsq; deinde, nepotum communione, quaſi perfudiſſet: *Quòd multa*, addit, *eſſet malitia hominum* in terra.

Iſthæc præterea etiam obſervatio noſtra roboraſcit non leviter & aliâ obſervatione, quam infrà ſubjicimus: Nimirum nec Aquam, nec Squammigeram Pecudem univerſam, in Cataclyſmo pœnas dediſſe, quia rei nauticæ operam & non dediſſent mortales ante Cataclyſmum; nec avaritiæ litaſſent, nec ambitioni navalibus expeditionibus, quibus peccatur multipliciter. Itaque dum Sacer Hiſtoricus ibidem, in terra, ſubdit, ſignanter ſubindicat,

dicat, IN TERRA duntaxat homines malitiæ operatos; ſuppliciumq́; Illam perpeſſuram haut aliter, atque homines ipſos. Doctiores ſat ſciunt, germanam hanc eſſe rationem interpretandis Sacris Bibliis.

Procedit Accuſator deinde, ac DOMINUM inducit, non jam modò cum homine ſtomachantem; immò extinctionem prorſus ejus minitantem verbis iſtis comm. VII. וַיֹּאמֶר יְהוָה אֶמְחֶה אֶת־הָאָדָם אֲשֶׁר־בָּרָאתִי מֵעַל פְּנֵי הָאֲדָמָה מֵאָדָם עַד־בְּהֵמָה עַד־רֶמֶשׂ וְעַד־עוֹף הַשָּׁמָיִם כִּי נִחַמְתִּי כִּי עֲשִׂיתִם׃ *Et dixit* DOMINVS, *Delebo Hominem, quem creavi, à ſuperficie* TERRÆ, *tam homines, quàm jumenta; tam reptilia, quàm volatilia Cœli. pœnitet enim me, quòd fecerim eos.* Inquit ergo, *Delebo à ſuperficie* TERRÆ. Immò univerſalem adeò abolitionem, planè liquet, patrari commodè non potuiſſe, niſi ipſa TERRÆ facies ſimul aboleretur. Eam autem aquis obruere, DOMINUM habuiſſe ſtatutum, ut abundè Moſes oſtenderet, TERRÆ ſolâ iniquitatis expreſſione paullò poſt protulit in medium. itaque progreditur in ejus accuſationem iſta ſubjungere, quæ, è re quoque erit, attentiùs penſiculare: וַתִּשָּׁחֵת הָאָרֶץ לִפְנֵי הָאֱלֹהִים וַתִּמָּלֵא הָאָרֶץ חָמָס׃ וַיַּרְא אֱלֹהִים אֶת־הָאָרֶץ וְהִנֵּה נִשְׁחָתָה כִּי־הִשְׁחִית כָּל־בָּשָׂר אֶת־דַּרְכּוֹ עַל־הָאָרֶץ׃ *Et corrupta eſt* TERRA *in conſpectu* Comm. 11.

DEI;

DEI; & repleta est TERRA *iniquitate. & vidit* DEUS TERRAM, *& ecce corrupta erat; quia corruperat omnis caro viam suam super* TERRAM.

Enimverò cùm in Sacro Contextu, Divino Spiritu dictante, nec punctum, nec apex, vel additum, vel demptum, nedum verba, non subindicent sacra latêre; sensáque obtegi ingentia, profunda, & arcana: vocem TERRÆ nunc studiò (& ubique etiam Actus hujusce Tragici) toties iteratam, ut ad nudam narrationem certo certius sit superfluere sæpiùs, magnum quid haut occultò portendere, ambigere non licet. Parùm herclè igitur erat, tanto orationis apparatu, ac TELLURIS item commaculatæ exaggeratione, quæ & præcessêre, & subsequentur, prædicere solummodò cupivisse, Eam necessum inundari, ut cuncta interirent viventia; satis res nempè per se manifestaria, & fusè statim describenda. Plumbea, inquam, fibra erit, aut cornea illi videlicet, qui non præsenserit jam, majus aliud velle parturire tot verba prægnantia, & plena mysteriis. Quidnam autem hîc rationi succurrat, & orationi consentaneum, nos non obtuemur, Nisi TERRÆ minari, atque Hominum generi, non impar supplicium. *Delebo*, inquiit DOMINUS supra, *Homi-*

Hominem à ſuperficie TERRÆ. Unde, cùm deletos, ſcimus, manſiſſe in poſterum illos homines; & deletam pariter cum Homine TERRÆ ſuperficiem illam manſuram eſſe, conſonum ſanè erit. Si rurſus enim rediret illa, exiſterétque, ac pœnas improbitatis ſuæ pendere deſineret, pari nequaquam, atque Homines, animadverſione contineretur; cùm pariſſimâ, ſi major non ſit, execratione Eam DOMINVS, ac Hominem, proſequatur, & inſectetur. Semel nunc mortalium iniquitatem audimus memorari, ter verò inculcari iniquitatem TELLURIS. Quis igitur putet, ſceleris depravationem amplificari, non eſſe importunum, ubi mitiganda foret deinceps acerbitas ſupplicii? Loci porrò locurio transferri non debet μετωνυμικῶς, quæ ineptiæ fuêre jampridem Interpretum, Continentem Humum ſumentium pro incolis hominibus. Moleſta, quæſo, cui uſui ταυτολογία figuratæ orationis, ubi rectâ, ſimplicíque luculenter res ipſa exhibetur patefacta? Subdit ibidem Contextus Sacer. כִּי־הִשְׁחִית כָּל־בָּשָׂר אֶת־דַּרְכּוֹ עַל־הָאָרֶץ׃ *Nam omnis caro corruperat viam ſuam ſuper* TERRAM.

Atenim divinationibus immorari, conjecturis, aur interpretationibus, otioſum me-

Hercules, & ſupervacuum eſt, ubi adſit videlicet teſtimonium, quod evincat intrepidè. Longè enim non abeſt fidei quoddam ſpectatiſſimæ; idque, niſi prorſus fallor, negotium planè conficit. Omnibus illud multis abhinc ſæculis patuit, ivítque obviam vel illis, qui primoribus labris limina ſalutarunt Sacrorum Voluminum. Sed nihil mirum, eos præteriiſſe adhuc; nondum enim Cynthius aures ipſorum vellerat. Aſt denique jam, miſſis præter rem logis, poſtquam ſat criminum conlatum fuit in Homines; &, ex communione inter ſe, in TELLUREM; tandem ſententiam DOMINUM ferentem ſuppeditat nobis Moſes, ubi proximè
* Comm. 13. ſubjungit: * קֵץ כָּל־בָּשָׂר בָּא לְפָנַי כִּי מָלְאָה הָאָרֶץ חָמָס מִפְּנֵיהֶם *Finis universæ carnis venit coram me, quia repleta eſt* TERRA *iniquitate à facie eorum.* [id eſt, per eos, Hebraiſm.] ET ECCE EGO PERDAM EOS CUM IPSA TERRA. Hîc, ET TERRAM, quod idem eſt, LXX. vertunt. Priùs probra hîc memorat TELLURIS, & vitia Hominis cum illis ſubinde conferendo, utrique demum ſupplicium indicit pariſſimum prorſus, HOMINI, & TERRÆ, inquam, diſertis verbis. Haut ſecus igitur atque Homines luerent pœnas ſuorum criminum, & TERRAM eaſdemmet pœnas

nas daturam esse, haut dubium est. Extincti mortales tunc, nusquam extirêre deinceps, nec ampliùs comparuêre; Alii urique, nequaquàm iidem, substituti; prognati illis videlicet, qui ex aquis evaserunt, *Unici Terris homines relicti*, Orbem TERRARUM incolunt: Orbem igitur diversum TERRARUM, ac Superficiem, in primæ locum succenturiatam, omnino necessum fuit, denuò similiter oriri, ac proferri; sed ex ipso tamen Globo prolatam in lucem, ubicunque Illa se conspicuam præberet.

Cui & mirificè adsonat, Quòd, cùm à DOMINO fieret Mundi tempestiva renovatio, TERRAM, iniquitatibus inveteratam, rursus non redderet Generi hominum, in malum adeò proclivi, qui Summa Sapientia est, gnarúsque penitiùs fictilis ejus naturæ. Caveret ergo proculdubiò infectionem HUMI, quæ à primordio usque sui insederat sibi. Constat enim, in Locis ipsis quid pravum, probúmve rerum relinqui videri nobis. Huc spectat illud Satyrici: *Etiam si Locum inauspicatum timebam, &c.* * ubi abundè nos. Et huc pariter, ut mea fert sententia, respexit D. Hieronymus, ubi verbum addidit in Vulgatâ Versione, quod aberat à Græcâ, Chaldaicâ, & ab Hebræo fonte. Scilicet

* Pag 390. primæ editionis.

cet cùm, *Pœnituisse* DOMINVM, ait Sacer Codex cap. VI. comm. VI. *Quòd Hominem fecisset in* TERRA, adjicit statim [*Et præcavens in futurum*] *Delebo*, *inquit*, *&c.* Alto sanè præjudicio ibi animadvertens Sanctissimus, & Doctissimus Vir, Maximâ illic opus fuisse in futurum Loci cautione.

Suffulcit item non leviter sententiam nostram Etymon nominis נח, *Noach*, vel *Noë*, quod Pater Lamech, divino afflatu perculsus, teste ipso Mose, imposuit filio, exposuítque. Capite V. com. XXVIII. ait: וַיְחִי־לֶמֶךְ שְׁתַּיִם וּשְׁמֹנִים שָׁנָה וּמְאַת שָׁנָה וַיּוֹלֶד בֵּן׃ וַיִּקְרָא אֶת־שְׁמוֹ נֹחַ לֵאמֹר זֶה יְנַחֲמֵנוּ מִמַּעֲשֵׂנוּ וּמֵעִצְּבוֹן יָדֵינוּ מִן־הָאֲדָמָה אֲשֶׁר אֵרְרָהּ יְהוָה׃ *Et vixit Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit filium. vocavitque nomen ejus Noach, dicens: Iste consolabitur nos ab operibus nostris, & à dolore manuum nostrarum de* TERRA, *cui maledixit* DOMINVS. Ubi sive derives vocabulum *Noach* à נוח, *nuach*, quod est, *Requiem præstare*, uti LXX. maluêre, Josephus, & Philo: Sive à נחם, *nacham*, quod est, *Consolari*, ut adrisit Latino Interpreti, eódem utrunque delabitur. Iste Consolabitur nos, vel, Requiem præstabit nobis, aptè dictum de Noacho illo, qui Humanum Genus traducere portendebatur *DE TERRA*, *cui maledixerat* DOMINVS: & ita adlevatu-

rus

rus erat Hominem ipsum ærumnis, quibus premebatur; uti & flagitiorum miseriis, calamitatibúsque. Si præbiturum igitur hominibus Noachum, auguratur Lamech, solatium laborum, quibus in TERRA maledictâ vexabantur, indubium sanè est, & TERRAM aliam simul ipsum subintelligere: & subindicare etiam, Eam sibi, & posteris, Lamechum ipsum polliceri. Cui nimirum cùm non maledixisset DOMINUS, conligi posset, conjectaríque, benefica magis, ac lætior futura. Sensus iste verborum genuinus ita est, atque germanus, ut Hebræi Magistri (unde hauserunt recentiores unus, aut alter) cùm ad illa accederent, aliter non exposuerint. Immò nescientes prorsus (mirum!) quod proferrent, apertiùs adhuc quàm nos, protulerint in medium nostram opinationem. En Latinè ut sonant Rabbinorum verba: *Ergo Noachus, cùm recèns natus esset, & nullum de se adhuc indicium præ tenellâ ætate præbere posset, augustissimo nomine Noach, hoc est, Quiete, sive, Consolatione, vocatus est à Patre suo. quod nomen NOVAM, & LÆTIOREM TERRÆ FACIEM pollicebatur, mitigatâ TELLVRIS malignitate, qua per Divinam Execrationem affecta erat.*

Ast licet iste de Noacho Locus, vel per se

ſingularis adductus, valdè juverit nos; geminus tamen ejus alter germanus integrum robur adjicit. Ille nimirum eſt, ubi eventus ipſe fidem facit Lamechi prædictioni. Poſtquam enim Moſes nobis tradidit, Eluvionem abiiſſe, Sacráque Noachum feciſſe DOMINO; ut innueret ſubinde, Quòd ad illum reſpexiſſet depoſito ſupercilio, iſthæc ſubjungit Hiſtoricus cap. VIII. comm. XXI. וַיָּרַח יְהוָה אֶת־רֵיחַ הַנִּיחֹחַ וַיֹּאמֶר יְהוָה אֶל־לִבּוֹ לֹא אֹסִף לְקַלֵּל עוֹד אֶת־הָאֲדָמָה בַּעֲבוּר הָאָדָם. *Et odoratus eſt* DOMINVS *odorem quietis* [id eſt, quieſcere facientis iram DEI:] *Et dixit* DOMINVS *in corde ſuo* [Hoc eſt, ex toto corde:] *Poſthac non ampliùs maledicam* TERRÆ *propter hominem.* Quis ambigat loqui hîc DOMINUM de TELLURE malè adhuc non affectâ jaculo maledictionis? Leniendi per Noachum prædicebantur ſuprà hominis labores, qui ex TERRA propagarentur à DOMINO maledictâ. ubi palàm inſinuatur, ut vidimus, Aliam expectari maledictionis immunem. Nunc ultrà non execraturus TERRAM pollicetur. Si de TELLURE aliâ etiam in præſentiâ non loquitur, cui DOMINUS adhuc non maledixiſſet, vaticinium nondum uſuveniſſe, nec exitum habuiſſe, liqueret profectò, quanquàm in poſterum DOMINUS, rurſus non execraturus

craturus primam illam TELLUREM, hîc paciſcatur exertim. Satis ſuperque petiverat eam anteriùs imprecationibus, ob primi Parentis noxam, ut illi non foret opus nuperâ, & recenti execratione, ut ſatis maledicta haberetur: ac denuò tribuli infeſti hominibus, ſpinæque ex illâ pullulaſcerent etiam poſt Cataclyſmum. Beneficium ergo hoc, & indulgentia TERRÆ ampliùs non maledicendi, quod promittitur nunc à DOMINO, de HUMO capiendum eſt neceſſariò maledictionis adhuc experte, quę appareret tunc primùm; & à cujus facie abeſſet pariter peccati primi infectio.

De hujuſcemodi itaque TELLURE, rudi, puta, novâ, primæque culpæ vacuâ ſordibus, ac defæcatâ, DOMINUM illic videlicet locutum, ex hiſce conligitur etiam, quæ annectuntur prædictis : כִּי יֵצֶר לֵב הָאָדָם רַע מִנְּעֻרָיו וְלֹא־אֹסִף עוֹד לְהַכּוֹת Eodem comm. 21.
אֶת־כָּל־חַי כַּאֲשֶׁר עָשִׂיתִי׃ *Cogitatio enim humani cordis mala eſt à pueritiâ ſuâ: neque* [ſive ut Vulgar. *non igitur*, quæ eódem redeunt] *percutiam ultrà omne vivens, quemadmodum feci.* Nam ſi Locum iſtum de TERRA non capimus ejuſmodi diverſâ, neutiquam cohæret ſenſus, qui hujuſmodi eſt: Non ampliùs TERRÆ maledicam propter hominum peccata, neque illi aliud niſi peccare

cogitant.

cogitant. Immò potiùs, ut ſic iſta ſonant, Ob hominum iniquitatem illam, nec Hominibus ipſis parceret, nec telluri. Sed magis adhuc cohærentiæ defectum hunc animadvertere licet ex eo, quòd ſupra, ubi Dominus pertæſus jam malitiæ hominum, delere illos, ac terram, minatur, eorum iniquitatem ſtudio expreſſerit Moſes cap. vi. comm. v. voce יֵצֶר *Iezer*, quod eſt *figmentum*, aut, *cogitatio mala cordis humani*: Et nunc, ubi ignoſcere & flagitiis hominum, & terræ fæculentæ illis flagitiis, animus eſt, eâdem voce utitur. Quidnam ergo interceſſerit magnum, ut eademmet iniquitas iratum reddiderit tunc Dominum; nunc verò benignum, indulgentem, ac placabilem, planum eſt, congruens duntaxat occurrere, Quod illic læderent Dominum Hominum crimina perpetrata in terra, fæce nempe inquinatâ Sceleris Primi, & fulmine Maledictionis Dominicæ petitâ: hîc autem, etſi pravitas hominum ipſamet adeſſet, aberat tamen ab iſtâ recèns exortâ tellure, Alterius ſcilicet, perpetuâ jam inundatione punitæ, Infectio, & Maledictio. Confer tute Loca ipſa ſuis ipſis locis, mero meridie clariùs conſtabit tibi diſcriminis hujus * εὐστοχία.

* dextera conjectio.

Suffra-

Suffragatur præterea mirum in modum nobis iſtorummet Locorum, in quibus nunc verſamur, tertia inſuper adhuc inter ſe compoſitio. & quanvis longè non abit à præcedentium indole, forſitàn hîc hiſcere jam refractariolus non audebit. Noſtra obſervatio eſt, ſemel tantùm Univerſam TERRAM fuiſſe à DOMINO maledictam; & * bis tantùm Maledictionis hujus Univerſalis adverſus TERRAM, fieri mentionem totis Voluminibus Sacris. nam particulatim Regiones, & Urbes nonnunquam maledici, poſt Diluvium contigit, ut Sodomitæ teſtimonio ſunt, Gomorrhæi, & alii, de quibus infrà etiam nos agimus. Utrobiq; tamen adeò ipſiſſimis verbis uſus Moſes, ut componere ea inter ſe, cuilibet ſtatim ſuccurrat, ac de unâ eadémque Maledictione loqui, aſſentire non dubitet. Primo Loco dixit DOMINUS ad Adamum, proximè à perpetrato crimine ejus, cap. III. Geneſ. comm. XVII. אֲרוּרָה הָאֲדָמָה בַּעֲבוּרֶךָ *Maledicta eſt* TERRA *propter te.* En ergo ubi jaculata Maledictio. Contrà autem altero Loco, hoc eſt, nuperrimè, ab apparitione TELLURIS poſt Diluvium, Noachum tunc adloquens: לֹא אֹסִף לְקַלֵּל עוֹד אֶת־הָאֲדָמָה׃ *Poſthac non ampliùs Maledicam* TERRÆ *propter hominem.* Cap. 8. comm. 21.

* Ore Lamech ſemel præterea exauditur: *De* TERRA, *cui Maledixit* DOMINUS. Sed huc non facit.

E Nunc

Nunc porrò & præmittimus quædam, quæ præferant lucem. Constat enim, Primum duntaxat Peccatum, non alia quælibet, universam TERRÆ faciem, tum temporis conspicuam, maculare potuisse. Isti nanque Populi, aut illi scelerati, tractus suos infecerunt separatim à ceteris, uti & semper accidit. Item, ob ipsum duntaxat Peccatum Primum TERRAM illam Universam quivisse unquam meritò Maledici. Ideò, בַּעֲבוּרֶךָ, *Propter te*, dixit DOMINUS; & iterùm, בַּעֲבוּר הָאָדָם, *Propter hominem*, innuens Eundem Primum, & ubique ejus crimen. Sic habet Hebræus Archetypus; Vulgatus verò Latinus, *Propter homines*, & LXX. interpretantur, διὰ τὰ ἔργα τῶν ἀνθρώπων, *Propter opera hominum*, ut Chaldæus etiam Paraphrastes, *Propter hominum peccata*. Ubi, *futura*, videlicet intelliguntur; & non ineptè, cùm proclivitatem naturæ eorum subjungat DOMINUS. Sed propter flagitia hominum post Peccatum Primum perpetrata, nunquam DOMINUS Universæ TERRÆ Maledixerat; etiam si ea, unà cum primo scelere, punivisset Ejus Eluvione. Utraque tamen interpretatio opportuna, licet à primâ etiam erit, Quod ubicunque sermo sit de Maledictione illâ TERRÆ Universali, ejus necessariò,

riò, liquet, futuram mentionem cum reſpectu ad facinus illud primum. Itaq; cum DOMINUS ait: *Poſthac non ampliùs Maledicam* TERRÆ *propter hominem*, cùm de Univerſali Maledictione loqui, certum ſit; ad infectionem Primi Hominis etiam reſpexiſſe, neceſſarium quoque eſt. Utcunque tamen lubeat id accipere, &, ſive Primi Hominis, inquam, ſive cunctorum hominum peccata, ſignificet ibidem DOMINUS (nihil enim hîc noſtrâ intereſt, aut hoc, aut illud præferas) ſi aderat igitur tunc, poſt Diluvium nempe TERRA illa, quæ Maledicta jam ſemel fuerat à DEO, fruſtrabilem enim liceret exiſtimare, inanem, & vanam indulgentiam Ipſius, Poſtidea ampliùs ei non Maledicturum, pollicentis: quod nefas eſt de NUMINE vel per ſomnium cogitare.

Hoc autem ut liquidiùs pateat, reſcire etiam refert, Quòd longè alia à præcedenti Benignitas eſt, quæ ſubinde ſubſequitur. וְלֹא־אֹסִף עוֹד לְהַכּוֹת אֶת־כָּל־חַי כַּאֲשֶׁר עָשִׂיתִי׃ *Neque percutiam ultrà omne vivens, quemadmodum feci.* Eodem comm. 21. Duo nanque diverſa ſunt, nec confundi debent, *Non Maledicam, &c.* &, *Non Percutiam, &c.* Effectu tamen ipſo quirent pro unâ duntaxat Benignitate reputari haut incommodè: quippe à Maledictione

ledictione Universali obnoxia tellus, & obstricta Universali Punitioni relicta est; eâque contineri Omne Vivens, & constat planè. Itaque propitius jam Dominus utrunque pollicetur Noacho, non iterum facturus, quanquàm effectu reverâ & unicum fuisset. Nota item Execrationis illa, divinitùs jampridem telluri inusta, nec decem Cataclysmorum millibus remansit in posterum deletilis. Benignitas igitur terræ rursus non maledicendi, &, quod Maledictioni obnoxium sequebatur, Viventia itidem non ampliùs extinguendi, de Novâ dici terra, necesse prorsus videtur; cùm Veteri, præter quàm quòd jam obtigisset utrunque, ut & sæpius obtingeret, satis Maledictionis supererat. Ubi simul & hominum iniquitatis meminit insuper Dominus (ibidem interjicit: *Cogitatio enim humani cordis mala est à pueritiâ suâ*) ut ostenderet apertiùs etiam, Nec adhuc deesse Recenti telluri flagitia hominum, quando Ei, & Viventibus omnibus, deinceps ignoscere præseferebat; Sed Maledictionem, quæ terræ Antiquæ à primo scelere provênit. quocirca, *propter Hominem*, addidit, Primum nempe; hoc est, propter Primum ejus Crimen, ut visum est. Itaque tandem Indulgen-

dulgentiam eam ampliùs non Maledicendi, necessariò ergo fateri cogimur (velint nolint, qui adhuc esse malint glandem, quàm Cererem) TERRÆ scilicet illi DOMINUM gratificari, anteriùs nunquam Maledictæ; quæ & hujusmodi Benignitate quiret ideò in posterum frui, quandoquidem frustrà Maledictæ jam indulgeret.

HACTENUS à Sacri Historici vestigiis nequaquàm deflectentes, prosecuti tantùm sumus Argumenta, petita ex narratione, quæ terminis ejusdem Historiæ continetur: Hinc ad alia Argumenta jam proficiscimur, quæ poterunt, habitâ ratione cum primis, *Externa* indigitari. Nisi, si Quintilianum audimus, & distinguimus aliter. ejus isthæc habentur, quæ huc maximè spectant: * *Cùm propria Causſæ ſunt*, DIVINA TESTIMONIA *vocantur; cùm aliunde accerſuntur*, ARGUMENTA. Primo autem loco ceteris quoddam prætulimus, egregium illud, & eximii reverâ documenti, utpote quod largitus sit nobis S. Petrus, Apostolorum Princeps. Id reddere & unicum quiret quenlibet præmonitum de Commento nostro vel aliud agentem: mirabunturque deinceps forsàn Viri Doctissimi tantum sæpe prætermisisse

* Lib. 1. Instit. Orator. cap. 11.

ſiſſe Monimentum ſine hujuſmodi animadverſione.

Exſtat illud ergo Epiſtolâ ejus II. Canonicâ, cujus cycnea vox ex carcere prodiit eo ipſo anno, quo Romæ morti traditus à Nerone fuit. Eam porrò *ſinceram mentem*, quam ab auditoribus ſuis olim poſtulavit Sanctiſſimus Senex, ac intimo cordis venerandus, utinam nunc nobis à noſtris etiam poſſimus impetrare. Edocens ſuos ibidem Apoſtolus, In noviſſimis dierum futuros pravos homines, ac verſipelles, qui decipere ſtudeant, extremum prolatando judicium; & adventum DOMINI ſecundum imminentem, procul abeſſe prætexentes, cum illis videlicet confert, *qui increduli fuerunt aliquando.* Verba ejus quoque ſunt ex I.* Canonicâ, *quando expectabant* DEI *patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur Arca.* Hanc autem conlationem, rerum quæ ſimillima eſt, neſcio, an ſatis viderint Interpretes. Atenim ſententiam Apoſtoli eam fuiſſe, ambigere non decet; nam præter quàm multa oſtendunt, & paullò poſt ſubdit expreſsè: † Ἥξει δὲ ἡ ἡμέρα Κυρίου ὡς κλέπτης ἐν νυκτί. *Adveniet autem dies* DOMINI *ut fur in nocte*, latitans nempe. Dum etenim deinde Mundi, hoc eſt, TERRÆ, & Aëris, interitum aquis

* Cap. 3. com. 20.

† Epiſt. 2. cap. 3. comm. 10.

aquis Diluvii, componit cum Mundi ipsius igneo novissimo interitu; ex utroque adeò perspicuè indicat nobis NOVAM TERRAM, & Novum Aërem exoriri, ut satis omni fieri dubitationi adversum nobis quid suspicantium, videar mihi videre. Verba Græca exhibemus, à quibus Latinè Vulgata nihil prorsus deviant: [1] Λανθάνει γὰρ αὐτοὺς τοῦτο θέλοντας, ὅτι οὐρανοὶ ἦσαν ἔκπαλαι, καὶ γῆ ἐξ ὕδατος καὶ δι' ὕδατος συνεστῶσα, τῷ τοῦ Θεοῦ λόγῳ· δι' ὧν ὁ τότε κόσμος ὕδατι κατακλυσθεὶς ἀπώλετο· οἱ δὲ νῦν οὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ, τῷ αὐτοῦ λόγῳ τεθησαυρισμένοι εἰσὶ, πυρὶ τηρούμενοι εἰς ἡμέραν κρίσεως καὶ ἀπωλείας τῶν ἀσεβῶν ἀνθρώπων. *Latet enim hoc volentes* [judicium scilicet non appropinquare] *Quòd*[2] *Cœli erant*[3] *prius*, & TERRA, [4] *de aquâ*, & [5] *per aquam consistens* DEI *verbo*: [6] *per quæ* ILLE TUNC MUNDUS *aquâ inundatus* PERIIT. *Cœli autem, qui* NUNC SUNT, ET TERRA, *eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem Judicii, & perditionis impiorum hominum*: Verbis item illis, ILLE TUNC MUNDUS AQUA INUNDATUS PERIIT, interpretandis prævivit Petrus ipse præcedenti Cap. com. v. *Antiquum* illum *Mundum* appellans: Καὶ ἀρχαίου κόσμου οὐκ ἐφείσατο, &c. *Et Antiquo* [*Originali*, Interpret. Vulg.] *Mundo non pepercit*, &c. signanter distinguens primævam illam ante Diluvium

TERRAM

[1] Eâd. Epist. 2. cap. 3. comm. 5.

[2] *Aërei*, August. quod & utriq. Linguę familiare. inde & *Volucres Cœli* dicuntur, &c.
[3] Ante Diluvium.
[4] Scilic. emergens.
[5] Alii, *segregatam*, exponunt; Alii, *per aquam*, quasi gluten aqua Terram compingat. æquè probum utrunque.
[6] Cœlos, & Terram, vim aquarum suppeditantes.

TERRAM ab eâ, quæ ex aquis poſt Diluvium emerſit. Haut ſecus & eodem reſpectu Recentem hanc, quam nunc incolimus, Veterem reputat, cùm expectari, ſubdit, Novos Cœlos (poſtquam ex Igni exeant, uti exierunt ex Aquis) & NOVAM TERRAM. Καινοὺς δὲ, ait com. XIII. οὐρανοὺς, καὶ γῆν καινὴν κατὰ τὸ αὐτοῦ ἐπάγγελμα προσδοκῶμεν, &c.. *Novos verò Cœlos, & TERRAM NOVAM ſecundùm promiſſa Ipſius expectamus*, &c. Inſcium ergo DUPLICIS TERRÆ, quam adſtruimus, ſe, reor ego, non præbet Apoſtolus; D. tamen Auguſtinum, qui ipſum παραφραστικῶς enarrat Lib. XX. *De Civitate DEI*, Cap. XIIX, neutiquam ego exiſtimo conſcium. Nihilominus nobis, ſententiam ipſius Apoſtoli ut aſſequatur exponere, ita validiſſimè ſuppetiatur, ut nullus unquam poterit magis, etiam anxiè ſi rei ſcientiſſimus accedat. Studioſus adeat, nos pauca, ſed mira herclè, excerpimus: *Proinde, qui Cœli, & quæ TERRA, id eſt, qui Mundus, pro eo Mundo, qui Diluvio periit, ex eâdem aquâ repoſitus eſt; ipſe Igni noviſſimo reſervatur in diem Judicii, & perditionis hominum impiorum*, &c. Quapropter Interpretes, qui diligenter Epiſtolam Petri penſitarunt, nondum adhuc de noſtrâ Duplici Terrâ præmoniti, vereri planè oſtenderunt, dum

dum cavere jubent, ne quid ex verbis illis arguti homines de NOVA TELLURE cogirarent. quod potissimum argumentum est * *ἐναργείας* eorum. Audi Danielem Heinsium Exercitat. Sacr. in hanc 11. Epistolam. *Cùm, quod de Diluvio additur, nihil sanè ad Cœlos. in quos, tantum abest, aliquid potuisse aquam, ut ne Terra quidem fuerit sublata, neque Alia, aut Nova nunc sit.* Et paullò post: *Periisse autem omnes, qui extra Arcam, etiam Terræ speciem externam, ac decus, nemo equidem, quod sciam, negat: ipsam verò periisse Terram, ne Poëtæ quidem dicunt. ut qui in Diluvii descriptione canit:*

*Pœna placet * diversa: genus mortale sub undis*
Perdere, & ex omni nimbos demittere Cœlo.

Versus Ovidii sunt.

* *Perspicuitatis, evidentiæ.*

* Contrà quàm nos volebamus suprà, Eandemmet fuisse.

Flavius item Josephus, Patriâ Judæus, & Genere, Historiographúsque præstantissimus; qui xx. Libris Antiquitatum ita complexus est Historiam Sacram, ut non rarò se Paraphrastem ejus præstiterit, & Interpretem eximium; Mosémque, ejusdem Historicum potiorem, sæpenumerò sibi profiteatur Antesignanum; cùm res gestas hominum ante Diluvium memoriæ proderet, eorumque tandem extremam pravitatem perstringeret, Noachique probitatem;

Dominum, tunc abolere universum mortalium genus deliberantem, inducit similiter; additque insuper rem miram, & quæ ad præcedentis quantum est nostræ Dissertationis mirum in modum conducit. Sed satius erit ejus ex ore accipere, ubi cap. IV. Lib. I. inquit: ὁ δὲ Θεὸς τοῦτον μὲν τῆς δικαιοσύνης ἠγάπησε. κατεδίκαζε δ' οὐκ ἐκεῖνον μόνον τῆς κακίας, ἀλλὰ καὶ πᾶν ὅσον ἦν ἀνθρώπινον, τότε δόξαν αὐτῷ διαφθεῖραι, καὶ ποιῆσαι γένος ἕτερον πονηρίας καθαρὸν, ἐπιτεμόμενος αὐτῶν τὸν βίον, καὶ ποιήσας ἐτῶν οὐκ ὅσα πρότερον ἔζων, ἀλλ' ἑκατὸν εἴκοσιν, εἰς θάλασσαν τὴν ἤπειρον μετέβαλε. Vertit Gelenius: *Deus Viri justitiâ delectatus, non ejus solùm seculi homines extremæ malitiæ damnavit; sed cùm decrevisset universum hominum genus extinguere, aliudque novum & à vitiis purum instaurare, primùm vitam eorum breviore spatio circumscripsit, & abrogatâ longævitate, intra centum & viginti annos coërcuit; Dein Continentem Terram in Pelagus transmutavit.* Duo enim Dominum cogitatione complexum, perspicuè dicit, Et homines extinguere; Et in Pelagus transmutare Tellurem: sed utrumque ut hominum Genus instauret, novúmque substituat aliud à vitiorum sordibus purum: Ubi novam quoque terram pariter, & defæcatam substituendam, videtur etiam innui. Sic & nos

supra

ſupra ſatagimus adſtruere Illam, parilem nempe Novo illi hominum Generi, poſt Diluvium propagando, neceſſariò futuram. Sed Joſephi ſententiam curatiùs adhuc expendimus.

Et primum illud eſt: γένος ἕτερον πονηρίας καθαρὸν: *Aliud Genus, à vitiis purum.* Nam *Aliud* ſanè exhibitum à DOMINO, ſatis conſtans eſt; ſed à vitiis *purum*, undecunque non item. At (ſi verbis audacia detur) inquam ego; nec adeò iniquum undecunq;, modò Gigantes illi, peſſimi mortalium (quorum mores enormes, & immanes denotavit, puto, * Sacer Hiſtoricus ſub proceritate illorum † Gigantea) cum poſteris utique Noachi comparentur. Rectè enim *Illorum facinora*, ait ipſe Joſephus, *non abſimilia his, quæ de Gigantibus Græci memorant, poſteritati ſunt tradita.* Ὅμοια τοῖς ὑπὸ γιγάντων τετολμῆσθαι λεγομένοις ὑφ' Ἑλλήνων, καὶ ἔτι δράσαι παραδίδονται). Immò quæ inde acceperant Græci, poſtea per ambages, & deorum miniſteria, more ſuo, monumentis tradidêre. Conſtat enim (ut hoc obiter moneam) vel ipſo Joſepho teſte ibidem, projectæ nequitiæ effrænatam illam propaginem impiè DEUM temnere ſolitam, & convitiari. Unde commenti deinceps Græculi impoſtores ſuas Gigantomachias; ecce ut

* Cap. 6. Geneſ. comm. 4.

† Hebr. *Nephilim, Gigantes*, id eſt, *irruentes*; quo Tyranni, & oppreſſores indicantur.

Affectasse, ferunt, Regnum Cæleste Gigantes,
Altaque congestos struxisse ad Sidera montes.

Et hausisse ita, indubium est, multa Gentiles è Libris Sacris Hebræorum, & postea traduxisse; cùm ipsi diutiùs servitutem perpessi essent apud Ægyptios, & Chaldæos, ut observamus alibi. Judæo autem consonat Philosophus Iber. Sic Lucius Seneca extremo Libro III. Quæst. Nat. de Exundatione præteritâ loquens tanquam futurâ, *Omne*, inquit, *ex integro animal generabitur, dabiturque Terris Homo Inscius Scelerum, & melioribus auspiciis natus.* Nihilominus & illis Domini memoratis anteriùs de Homine & post Diluvium edito, *Cogitatio enim Humani Cordis Mala est à pueritiâ sua*, assensus etiam Seneca, dum prædictis ista subnectit, quibus omnia pacantur: *Sed Hominibus quoque innocentia non durabit, nisi dum Novi sunt. Citò nequitia subrepit, Virtus difficilis inventu est, rectorem, ducemque desiderat: Etiam sine magistro vitia discuntur.*

At illorum Josephi trium verborum, quibus terræ inundationem complexus est, ponderis ratio quidem potius erit habenda, quàm numeri. Plura nanque, quæ apud Mosem invenerat, & nobis adeò tantæ disquisitionis negotium facessêre, paucis ita comprehendere adlubitum

bitum eſt: *Εἰς θάλασσαν τὴν ἤπειρον μετέβαλε*, *In Pelagus* TERRAM *Continentem transmutavit*. Ubi quid ille cepetit ex Moſe, quidve ſtrictim ita exptimere optarit, ego in medium relinquo; ſat tamen ſcio, paucis illis, quæ & affectaſſe videtut, apertiùs deſignate nequiviſſe, Primam illam ſupetficiem TERRÆ, in Pelagus converſam, manſiſſe ita deinceps perpetuò relictam.

SED ſatis id genus Argumentotum, pro Veritate ſtrenuè pugnantium. nam ad illa nimirum, *Quintiliano *Exempla* vocata, παραδείγματα Græcis, accedimus jam; quas & haut incommodè Ciceto *Conlationes* appellat. *Exempla* ergo ex ipſis etiam Bibliis Sacris producere poſſumus, tota adeò ſimilia, non ex parte, uti loquuntut Rhetores priſci, ut ptorſus deſipere videatur, diſcrimen inter ſe aliquod intercesſiſſe, cogitare. Satis enim inter omnes convenit, Pariſſimè ut punita ſit, atque TERRARUM Orbis, tota Sodomitica Regio, & Gomorrhæorum, Urbes, & cuncta Viventia: æquè nanque ut Aquarum ille Eluvione, Igneâ & iſthæc funditus periêre. Ut ulciſceretur itaque DOMINUS Sodomorum peccata, evertit omnia, vaſtavit, & uſſit, ſulphureo nempe Imbre de Cælo ejaculato, & ignito ſale. Abundè Sacer Contextus

* Lib. 1. Inſtit. Cap. 11.

tradidit Cap. xix. Genes. comm. xxv. Ubi Interpretis Vulgata ab Hebræis non recedunt: *Igitur* DOMINVS PLVIT *super Sodomam & Gomorrham Sulphur, & Ignem à* DOMINO *de Cælo. Et subvertit civitates has, & omnem circa Regionem, universos habitatores urbium, & cuncta* TERRÆ *virentia.* Loth, & ejus familia ex discrimine evasêre; ut Noacho accidit pariter, & suis. Ast quod præcipuum exstitit, nimirum est, Portionem illam TELLURIS Mari obrutam, & ita manentem adhuc, Universæ TELLURIS, Mari quoque anteriùs submersæ, imaginem omnino reddidisse: illúdque *Mare Mortuum*, & *Salis* dici (ac meritò sanè) Sacris etiam Libris. Sed mirum & illud quoq;, & nequaquàm prætermittendum, Ejusdem prorsus naturæ, ac pluvia ipsa fuit, existere ipsum Mare: aquarum nanque vice bitumen fluitat Pelago toto, pabulum nimirum, ac nutrimentum & illud ignis. unde & Lacus ipse *Asphaltites* pluribus vocatus. ἄσφαλτος Græcis *bitumen* est. Plinius Lib. v. cap. xvi. inquit: *Asphaltites nihil præter bitumen gignit, unde & nomen*. Regiunculæ denique ejusdem amplitudinem ex ipsâ amplitudine Lacus æstimari, neminem jam fugit. Non tamen igitur angustè porrigeretur ejus tractus olim,

olim, cùm latè porrigi Lacum ipſum, pateat hodie manifeſtò. Plinius ita metitur ibidem: *Longitudine excedit centum mill. paſſ. Latitudine maximâ viginti quinque, minimâ ſex.* Sed Joſeph. Lib. v. De Bello Judaico, cui ab incunabulis & notiora fuêre loca illa, & obvia quotidie obtutui, nonnihil coanguſtat. Atenim amœnum adeò Moſes, & fœcundum ſolum commendat Cap. XIII. ut veluti *Paradiſum* DOMINI haberi, ferat exertim, antequam ſupplicio afficeretur. Tredecim urbes ejus Strabo memorat Lib. XVI. Sed hoc fabuloſum eſt, ut plura alia, quæ ibidem accerſit, deceptus ſcilicet à Græcis aliis Scriptoribus, ignaris prorſus Aſiaticarum rerum. Abbreviator Stephani minuit, ac decem retulit; quinque Auctor Libri *Sapientiæ* cap. x. quod verum omnino eſt; nam & quinque Regulos Urbium quinque, & utrorumque nomina, Regulorum, & Urbium, recenſet Moſes ipſus initio cap. XIV. *Geneſ.*

Sat ergo totum ſimile Exemplum hoc accedere, abundè jam patet; ac non aliter patuiſſe abundè jampridem, argumento eſt, conlatam hodie Utranque Inundationem ſæpenumerò offendi, & ipſis in Voluminibus Sacris, & apud Eccleſiaſticos etiam Scriptores. Quòd autem, ubi

ubi utrunque supplicium consenserant plenè, discreparent tamen ævitate, ac permansione, & mens, & ratio renuit: Quodq; item Monimentum reliquum, ac superstes cælestis vindictæ, deesset Universali Diluvio; Privati verò, & singularis Monimentum exiguæ Provinciæ perpetuò remaneret. Juvat audire Borchardum, oculatum testem, cujus ista sunt ex Descriptione Terræ Sanctæ Part. I. cap. VII. *Mare Mortuum semper est fumans, & tenebrosum, sicut os inferni, (ita oculis meis vidi) ob tetrum vaporem inde fumantem*, &c. & paullò post: *Tanta verò calamitas ei Regioni accidit, in execrationem peccati Sodomorum, quòd* D E V S *tot sæculis ulciscitur, ut etiam Regio ipsa pœnas luere perpetuò videatur.* Quod cùm ita sit, * ex locis aliis liqueat Scripturæ Sacræ, de eo tamen Moses vel verbum ullum. Itaque adhuc nobis obesset parum, etsi constaret, nimirum, Silentio etiam Mosem ipsum prætermisisse, Submersam primam T E R R A M permansuram in posterum. Quod & neutiquam constat. multifariam nanque id significasse, supra jam vidimus.

* Cap. 14. Genes. comm. 3.

Sed in penu antiquorum Monumentorum locupletissimo, simillima adhuc non pauca memoriæ tradita Exempla supersunt, Tractus scilicet

licet Terrarum exhibentia, Insulas, & Urbes; quæ, cùm à DOMINO plecterentur eorum Populi, conquassata corruerint terræmotibus; penitúsque absorpta, unà cum habitatoribus ipsis, memorentur. Nec aliter haberetur Ninive urbs, ut apud Jonam videre est cap. III. & IV. ubi Propheta ipsi minatur (nam & ejus Prophetia fuit sanè comminatoria, sub conditione nempe subintellectâ, Nisi resipiscerent;) subindicatq; non obscurè, Eversionem inferendam fuisse Tectis etiam, atque Agris.

Ex quibus paucis Exemplis, quæ tetigimus, conligere sat erit, Quòd ubicunq; DOMINUS supplicio afficere cogitarit, Aut Universum Genus hominum, Aut Regionis incolas alicujus, Aut Civitatis, Loca ipsa, utpote eorum sedes, ac receptacula, simul quoque consueverit punire: Immò adeò funditus delere, ut nec vestigium inde reliquum deinceps sit. Quod & peculiaribus itidem Familiis accidisse, nostra observatio in præsentiâ est. Mose ipso Auctore Cap. XVI. *Numerorum*, Core, Dathan, Abiron, & eorum socii, ipsi Mosi rebellant, Duci Populi DEI; & Aaroni, Sacerdoti Summo. ambibant Abiron & Dathan Principatum, Core Sacerdotium. Dum autem ab illis pœnas repe-

tere, cordi Domino est, primùm ad Mosem ait: *Præcipe universo Populo, ut separetur à Tabernaculis Core, & Dathan, & Abiron.* Cùm verò Moses Domino pareret, rationem insuper reddidit opportunam, ut fieri id, foret consentaneum: *Recedite*, inquit, *à Tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.* Unde & tandem edocemur, quare etiam Loca ipsamet pœnas cum sceleratis luant: infecta & illa quippe, ne & alios inficiant. *Recedite*, ideò subjungit, *à Tabernaculis, & nolite tangere, ne involvamini*, &c. Quapropter submergendi voragine Terræ cum Tabernaculis meritò illi erant. & sic factum fuisse, constat paullò post, ac narrare pergit Moses ipsus Comm. xxxi. *Confestim igitur ut cessavit, dirupta est Terra sub pedibus eorum; & aperiens os suum devoravit illos cum Tabernaculis suis, & universâ substantiâ eorum.* Consumpta ergò unà cum illis eorum habitacula, Papiliones, puta, Tentoria, Supelléxque. Et ultrà adhuc procedunt Rabbini nonnulli, asserúntque, Eo ipso Loco, ubi ore diducto *Terra illos devoravit*, hiantem rictum remansisse, chasmáve profundum; ut illud deinde perennaret in signum, qui cum in posterum monerentur

filii Iſraël. Et fors id etiam inſinuarint illa verba: *At verò omnis Iſraël, qui ſtabat per gyrum, fugit à clamore pereuntium, dicens, Ne fortè & nos Terra deglutiat.* Ubi niſi locutos eſſe illos, accipimus de iſtâ voragine, inepta eſt prorſus, & ridicularia eorum ſuſpicio. quocunque enim fugerent, DOMINUM, ſi iratus, non vitarent; & Terram dehiſcere.

Ceterùm parum jam mirum videri queat, ubique id TERRÆ accidiſſe; ſi ipſi jam olim accidiſſe haut aliter CÆLO, verum omnino ſit: Cælo, inquam, Empyreo, ubi DIVINA ESSENTIA tunc primùm conſpicuam obtulit ſe Angelicis Spiritibus: ac vel ideò cum Terrâ aptè copularit Id Sacer Codex & ipſis primis verbis, ut ſupra tetigimus. Rem geſtam, & ut geſtam fuiſſe, ambigere fas non eſt; nam Fides, quam ſervamus, adſtruit: & Apoſtolus Ioannes Hiſtoricus ἀποκαλύψει, id eſt, in *Apocalypſi* ſincerè, quod ibidem rarum, *enarrat*, ac *patefacit*. Michaëlis, Angelorum Principis, deſcribit ibidem cum Lucifero conflictum, ſive Rufo Dracone illo, qui caudâ nimirum traxit tertiam partem Stellarum Cæli, hoc eſt, Militiæ Cæleſtis Angelorum. In Cælo pugnatum indicat, ubi commiſſum ſcelus Luciferi: nam priùs

in CÆLO, quàm in TERRA peccatum fuit. Genus autem peccati Isaias suppeditat nobis (Historicus voluit connivete) dum Balthasaris Regis fastum cum luciferi componit. Itaque in Simili illo ad litteram de lucifero loquitur Propheta, quanquàm de Rege quoque ad litteram Propheta loquatur ibidem: quod aptè utrunque consonat, nec hilum sibi adversatur: adhuc tamen ab ullo Interpretum animadversum non vidi; potiùs implicari hîc, & irretiri, ut apes in pice. Cap. XIV. comm. XII. inquit: *Quomodo cecidisti de Cælo, lucifer, qui manè oriebaris? qui dicebas in corde tuo, —— Super Astra DEI exaltabo solium meum, Similis ero Altissimo.* Quòd, * Superbiit, ergo indicat. Ubi adloquitur pariter utrunque, luciferum nempe, & Balthasarem. ac subdit, ut puniti sunt: *Verùm tamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Nec secus Ioannes de lucifero subjungit. Ast (quod fidem omnem superaret, nisi testaretur Historiographus Euangelista) Locus ipse, ubi perpetratum crimen, in Cælo quoque punitus est, nec ampliùs comparuit: quod factum ita ubiq; fuisse, probatum imus. En verba ex Cap. XII. com. VII. quæ evincunt omnia: Καὶ ἐγένετο πόλεμος ἐν τῷ οὐρανῷ· ὁ Μιχαὴλ, καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ, ἐπολέμησαν κατὰ τοῦ δράκοντος·

* Alii, Quòd *Inviderit*. S. Orientius Hispanus, Poëta haut infacundus, & Illiberitanus Episcopus, in *Commonitorio*, ante annos 1100. conscripto, inquit:
Invidia infelix mortem moritura paravit:
Angelus hac celsi decidit arce Poli.
Sed Livoris hîc, & Superbiæ, peccatum idem. Invidere namque NUMINI SUMMO Divinitatis Beatitudinem, Superbissima enim, & insana mentis elatio est. Patres tamen tradunt nonnulli, Quod homini etiam unionem hypostaticam Inviderit.

κοντος· καὶ ὁ δράκων ἐπολέμησε, καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ. καὶ οὐκ ἴσχυσεν. *Et factum est prælium magnum in Cælo, Michaël, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone; & Draco pugnabat, & angeli ejus, & non valuerunt.* Sed ὕστερον πρότερον ſubdit: Καὶ ἐβλήθη ὁ δράκων ὁ μέγας, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, ὁ καλούμενος διάβολος, καὶ σατανᾶς, ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην, ἐβλήθη εἰς τὴν γῆν, καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ μετ' αὐτοῦ ἐβλήθησαν. *Et projectus est Draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & ſatanas, qui ſeducit univerſum Orbem, & projectus est in Terram, & angeli ejus cum illo miſſi ſunt.* Attamen audi quod Epiphonema futurum: οὐ δὲ τόπος εὑρέθη αὐτῶν ἔτι ἐν τῷ οὐρανῷ. Id eſt, * NEQUE LOCUS INVENTUS EST EORUM AMPLIÙS IN CÆLO. Ad litteram autem, & ἱστορικῶς, Prælium hoc accipi neceſſum de Michaële Archangelo, adverſus luciferum in Cælo Empyreo dimicante, omnes obtinent Scholaſtici Doctores, & propè innumeri alii. Ab illo tamen, qui aliter ſenſerit, nam ludit ut vulticulis Natura, & etiam ingeniis, duntaxat quærerem ego, Undenam cogitet, ſi neutiquam hinc, rem tantam petere geſtam, ut ipſe, nóſque ſubinde fiamus cerriores? Quæ objiciat inſuper offendicula, dilui quidem poterunt, dum coquuntur aſparagi. In CÆLO itaque, poſt

* Nec aliter reddidit Vulgatus Interpres.

vindictam lapsus Angelici, sedis eorum nec vestigium relinqui; In terra verò superficiem, Diluvio semel jam abolitam, denuò ipsammet, primo adhuc infectam peccato, restitui, adversatur rationi, & audire non patitur vel auris quædam ferrea.

Huc igitur usque sententiam nostram forsitàn muniverimus haut levidensibus rationibus, & quibus assentire, vidimus jam duræ cervicis homines; idémque auguramur, ab aliis pluribus consequi subinde nos, non difficile admodùm futurum; modò, non inquam, cervicis duræ, quin potius * incurvicervicum pecudes ne sint; & præfractè adhærere malint scopulo veteri, in quem jam olim impegerunt, quàm in tranquillum enatare. Attamen quæ adhuc supersunt nobis nonnullæ aliæ rationes in præsentia discutiendæ, longè adeò illis excellunt, ut menti vim tandem inferre videantur, liberè quippe eam arbitrari deinceps non sinant. Nostra itaque Dissertatio in hunc modum progreditur.

* Illi nempe, quos noster *Parnassus Bijugus*, pag. 127.

Si fontes enim absunt, aufugerint quippe, postquam deliquêre; signa nimirum, quibus illi notantur, Naturæque extima indicia, si innotuerunt satis, ut exquiri commodè queant, planè

planè sunt documento. At de eo nec ambigi jure liceat, si fors in quæstionem inciderit, quo cum notæ nequaquam consentiunt. Opportunè quidem huc & isthæc spectant. Ex veteri illâ TERRA, primi sceleris sordibus inquinatâ, & plurium subsequentium, pauca Signa, Notæque, reliqua nobis sunt, quibus eam investigemus, cùm, An sit, inquirimus; illa tamen non sublestæ fidei, nec fallacia, aut fucata; immò, quippe quæ Geographica, vera adeò, Physica, atque permanentia omnibus probentur, ut quandocunque eadem abesse constet à nuperâ nostrâ Tellure, cujus incolæ sumus, diversam prorsus ab illâ alterâ adstrui debere, dubitandum non sit. Quæ Bibliis itaque invenimus Sacris, videlicet sunt, Quòd † *Plantaverat* DOMINUS DEUS *Hortum in Heden ad Orientem*. וַיִּטַּע יְהוָה אֱלֹהִים גַּן־בְּעֵדֶן מִקֶּדֶם׃ Vulgatus *Heden* reddidit, *voluptatis*. & rectè. nam Hebræis *Heden* & nomen est proprium Loci, & appellativum, significans *voluptates*, ac *delicias*. Rabbini tamen, & * Patres Græci præferunt hîc Loci significatum. Deinde Moses addit comm. x. וְנָהָר יֹצֵא מֵעֵדֶן לְהַשְׁקוֹת אֶת־הַגָּן וּמִשָּׁם יִפָּרֵד וְהָיָה לְאַרְבָּעָה רָאשִׁים׃ שֵׁם הָאֶחָד פִּישׁוֹן הוּא הַסֹּבֵב אֵת כָּל־אֶרֶץ הַחֲוִילָה אֲשֶׁר־שָׁם הַזָּהָב׃ וּזְהַב הָאָרֶץ הַהִוא טוֹב שָׁם הַבְּדֹלַח וְאֶבֶן הַשֹּׁהַם׃ וְשֵׁם־הַנָּהָר הַשֵּׁנִי גִּיחוֹן הוּא הַסּוֹבֵב אֵת

† Cap. 2. Genes. comm. 7.

* Vnde ab *Eden* Theodoretus, Quæst. 25. in Genesim, existimat, *Adamum* vocatum: ibi enim effictus à DOMINO. Sed puto falli. *Eden* quippe ultimâ ן scribitur, non ם, uti constat ex Libris Hebræis, nam Græcis hîc fidendum non est, qui perperàm ἐν Ἐδέμ scribunt.

אֵת כָּל־אֶרֶץ כּוּשׁ׃ וְשֵׁם הַנָּהָר הַשְּׁלִישִׁי חִדֶּקֶל הוּא הַהֹלֵךְ קִדְמַת אַשּׁוּר וְהַנָּהָר הָרְבִיעִי הוּא פְרָת׃ *Et fluvius egrediebatur ex Heden ad irrigandum Hortum. & inde* [postquam egressus est ex Horto] *dividitur in quatuor capita. Nomen unius Phison, ipse circuit totam Terram Chavilah, ubi est aurum, & aurum Terræ illius bonum, & lapis onyx. Et nomen fluvii secundi Gnichon, ipse circuit omnem Terram Æthiopiæ. Et nomen fluvii tertii Hidekel, ipse vadit ad Orientem Assur. Et fluvius quartus est Perath.* Contextus hic Sacer, aut hoc, aut illo modo interpretentur, nam multifariàm cogitant, perspicuè præsefert, Fluvium ingentem valdè, loco ortum non occulto, postquam vagus pererrarit, irrigarítque haud exiguam Terræ portionem, quatuor in alveos se scindere; ac maximos subinde jam singulos eorum vastissimas Regiones permeare, atque discurrere.

Velle hîc Regionum harum Descripriones, ac Vocabula discutere, unáque Fluminum, longum abest à nostro instituto labore; longúmque foret, vel duntaxat recensere multiplices de illis opinationes Veterum, ac Recentiorum: innumeri quippe propè sunt quæstionum nodi, qui expediri nequirent, & nos circunferrent, si delábi in ejusmodi disquisitionem pateremur. Quem verò isthæc, quoquo modo fugerint,

rint, hospitem in Litteris haberi, prorsus nemo dubitet. Diutulè tamen inter plures convênit, ex illis quatuor Capitibus derivari famigerabiles quatuor Amnes illos, familiares auribus nostris, scilicet *Gangem*, *Nilum*, *Tigrim*, & *Euphratem*. Audire libet Constantinum Manassem, sic versibus suis dithyrambicis canentem sub principium suorum Annalium:

Ὑδαλομήτωρ δὲ πηγὴ κάτωθεν ἀνεῤῥάγη,
Καὶ τὸ καλλίδενδρον Ἐδὲμ ἐπότιζε χωρίον,
Καὶ τῶν φυτῶν ἐκήπευε τὰς ῥίζας καὶ τοὺς πρέμνους,
Καὶ τῶν ἀνθῶν τοὺς ἁπαλοὺς ἐμόσχευεν ὀρχάτους.
Ἐκεῖθεν δὲ πρὸς τέσσαρας ἀρχὰς διαιρουμένη
Γίνεται μήτηρ ποταμῶν τῶν μεγαλοκυμόνων.
Οἱ ποταμοὶ δὲ τῇ φωνῇ καὶ γλώσσῃ τῇ τῶν Σύρων
Φισὼν καλοῦνται, καὶ Γεὼν, Φορὰδ, ἐν τούτοις τρίτος,
Τέταρτος δ᾽ ἐστὶν Ἐδδεκέλ. κατὰ δ᾽ ἑλλάδα γλῶσσαν
Γάγγης, ὁ Νεῖλος ὁ πολὺς, Εὐφράτης δὲ, καὶ Τίγρης, &c.

Id est, interprete Leunclavio: *Ac Fons aquam emittens è Terrâ profluebat, arboreumque locum Edenis irrigabat, plantarum radices, ac stipites aqua sua potans, itemque florum teneros ordines fovens. Postea quatuor in principia divisus, fit amplissimorum Fluminum parens. Ea verò Flumina Linguâ Syrorum vocantur Phison, & Geon, & Phorad, & Eddekel: Græcorum autem Linguâ Ganges, Nilus,*

 Euphra-

Euphrates, *Tigris*, &c. quæ Sacrum Codicem inlustrant. Ceterùm cùm postea cuncti animadverterent, prædictis cum Notis illorum Fluminum nequaquàm ortus horumce, nec cursus congruere; sententiam illam posthabentes, torquere se, ac cruciare adhuc non destiterunt, si forsàn alia reperirent Flumina, à quibus & Mosi memorata neutiquam differrent. Verùm enim verò, postquam utrunque Orbem investigarunt, Utopiasque Regiones, & Epicuri Intermundia somniarunt pervigiles, & nihilum profecêre, ut nupera Geographia cum illâ primævâ conveniret, quam præscripserat Divinus Contextus; anxii tandem, desperatíque recesserunt de medio, professiq; ingenuè sunt, nocte cæcâ fluctuare mentem, immò naufragari.

Ast, proh DEUS IMMORTALIS, qui lynceos in Doctrinis Summos Homines cæcutire toties desinis, ac titubare! Vetustis enim insistere appellationibus Geographicis Locorum, ut ex illis Loca notescant ipsa, vanum studium est; nihil quippe adeò proclive variari, immutaríque: nequaquam verò Constitutionem ipsam eorum Locorum, uti jam* alibi diximus. Si existit adhuc ea in Terræ superficie, nequit latuisse, nec hodie latere queat, toties vel ideò solùm

* *Geographico Veteris Orbis Compendio*, edito ann. 1644.

solùm lustrato piis & curiosis hominibus Orbe; totque retrò chiliadibus annorum transactis, dum in curam illam plures incubuêre. Si hactenus ergò à Mundi usque renovatione per Cataclysmum nusquam comparuit, abesse igitur ab isto recentiori, abiisséque unà cum Mundo veteri, aquis scilicet obruto; Et, quod consequens est, TERRAS illas esse diversas, tueri videtur necesse illi, qui pervicax non sit, sive protervus. Conari autem, faciem illam Telluris Primæ, quam delineavit Geographus Moses, congruere cum facie, qua Secundam insigniri placuit Artifici supremo, aliud prorsus non esset, ac contendere, & eniti, Africæ nempe descriptionem, quæ in Tabulâ ejus Geographicâ contineretur, aptè ei respondere descriptioni, quæ in Tabulâ Europæ delineari solita videlicet sit. Sinite ergo jam, ô vos Viri doctissimi, deinceps ampliùs anquirere prolixâ indagine, sat demum edocti, oleum, & operam perdere. *Iphigeniam* enim (cui scilicet submergendæ tot imbres, nimbos, turbines, procellas, concitatas, fama est) si quæritis, offendere non licet; pro victimâ quippe illâ in Aulide *Cerva* supposita est: quam nos fugitivam repetere in præsentiâ studemus.

Nuperum item arbitrium illud, pollet, Hortum scilicet Heden, hoc est, Paradisum, obnoxium æquè, ut cetera mortalia, etiam mortalitati, eversum, & informem, penitus non existere: Paullò post de illo rursus loquimur. Aquarum illuvie, opinantur, dissipatum in Cataclysmo evanuisse, eáque propter ampliùs non comparere. Et verum quidem est, Ipsum à Diluvio usque prorsus nesciri mortalibus. Id tamen minimè imputandum vastis vorticibus illis, qui obliterarint speciem ejus decoram. immò potius ei Telluris mutationi, quam primi nos comminiscimur, ac stabilire enixè intendimus: submersum quippe sub aquis invenire non est. Huc unicè faciunt Chrysostomi verba: nam aliter eorum sententiam constare non posse, nullus ego dubito. Inquit Homil. in Genesim: πρὸ γὰρ τοῦ κατακλυσμοῦ εἴδησαν καὶ τὸν τόπους, καὶ τὴν ὁδὸν, τὴν ἀπάγουσαν εἰς τὸν παράδεισον. τοῦ δὲ κατακλυσμοῦ γενομένου, ἔξω ἐγένοντο τοῦ παραδείσου, καὶ μήτε Νῶε λοιπὸν ἐγνώριζεν, μήτε οἱ ἐξ αὐτοῦ. *Ante enim Diluvium cognoscebant homines & locum, & viam, quæ duceret ad Paradisum: Post Diluvium, extra Paradisum esse, reperti sunt; & neque Noë, neque posteris ejus ultrà cognitus est.* Quonam modo, quæso, egregius ille Vir vestigium ullum, subinde reliquum, nequa-

nequaquam agnoſceret, familiare olim oculis ſuis; deleta quanvis valdè, abolitáque redirent omnia, modò eademmet rediiſſent, poſtquam abiiſſent aquæ? Arduâ rupe, quæ prærupta ita verticem extulit inter alias, *ut lenta ſolent inter viburna cupreſſi*, conduceretur velut indice: Inſignes alibi & montium formæ illi oſtenderent viam, inuſitatáque ſpatia camporum: Et, ex quatuor illis, Fluminis natura alicujus ſub obſervatione, *Sive, ut Nilus æſtivo incremento tumeret; Sive, ut Tigris eriperetur ex oculis, & acto per occulta curſu, integræ magnitudini redderetur*, ad divortium eorum Fluviorum, quod ſupra memoravimus, dirigeret: Et ſic denique plura his ſimilia, quæ manere adhuc poſt Diluvium, proculdubiò & neceſſarium erat, ceu manu eumdemmet ducerent ad Locum illum voluptatis. Nullum ergo ſignum ex illis Noachum, & ejus Liberos invenire, aſſeverat Chryſoſtomus; diverſam itaq; Terram jam eos incolere, & eapropter ignotam ipſis, extrariámque, ambigendum non eſt.

Poſtquam jam igitur viderimus, & inundari oportuiſſe TERRAM infectam Veterem; Novámque invicem ſubſtitui defæcatam, ac puram: nunc inſuper addimus, TERRAM hanc

diversam prodire, illam verò sub aquis manere, adeò nullo negotio factum, nullóque labore, ut potius Casu, & Fortuitu fieri potuisse, haut durum sit fateri. Jam dudum est, quòd ab Eruditis refellitur placitum eorum, existimantium altius Mare, sublimiúsque quàm Terra constitutum à principio rerum. Tunc quippe aquis Terram id non obruere, miraculum ab Orbe condito continuò futurum. & temerè ad illud, ubi opus non est, minimè confugiendum: præsertim cùm in primâ Mundi constitutione, consentaneum rationi sit, DEUM omnia creasse convenienter omnino, congruentérque eorum naturæ, *ut etiam ipsa proprios motus exercere, & agere sineret*, ait[1] Augustinus. Immò alicubi agnoscunt superiorem adhuc Tellurem. Sic Aristoteles edocet Lib. II. *Meteor.* eminere plagam Septentrionalem: & argumento est, testibus etiam[2] aliis eruditis Philosophis, Pontum in Propontidem fluere, fluxu tamen nunquam reciprocando. Et pariter aliis in locis inæquabili ejusmodi varietate Terram distingui, observatio est Virorum Doctorum. Deinde & nostra observatio est (puto & aliorum) desiccandæ Telluri post imbres assiduos Cataclysmi Ventum[3] Urentem adhibuisse DOMINUM, haut illi diversum,

[1] Lib. 7. *De Civitate DEI*, cap. 30.

[2] Plinius Lib. 2. cap. 97. & Lib. 4. cap. 13. Virgilius Libr. 1. *Georg.*

[3] Nec longè hinc abiit Nonnus Panopolita, dum Solem ardentiorem tunc adhibet. cujus *Θερμοτέροις*, inquit, *ἀκτῖσιν ἐχερσώθη πάλιν ἰλύς*. *Calidioribus radiis exsiccatus fuit rursus limus.* Qui sanè adeundus Lib. 6. *Dionys.* ubi luculenter descriptionem prosequitur Cataclysmi. Ἰλὺς & hîc et signanter memoratur, quod & ἰλὺς ipsa, *Limus*, inquā, Materia Mundi adstruitur postidea Lib. 40. diffusi ejusdem Operis.

versum, quo usus itidem ad Mare imminuendum Rubrum, in siccúmque vertendum, ut inoffensis vestigiis, Mose duce, transiret sat postea Populus Hebræus. Ex conlatione verborum videtur planum fieri. ait Moses ipse initio Cap. VIII. *Genes.* ex versione Vulgati Interpretis: *Recordatus autem* DEUS *Noë, cunctorúmque animalium, & omnium jumentorum, quæ erant cum eo in Arcâ, adduxit Spiritum super Terram, & imminutæ sunt aquæ.* Et Exodi Cap. XIV. comm. XXI. *Cúmque extendisset Moses manum super Mare, abstulit illud* DOMINUS, *flante Vento vehementi, & Urente tota nocte, & vertit in siccum,* &c. Simillimi me-Dius Jesus isti Venti. Et Tertium * nonnulli addunt, tempore autem Primum, cùm & die tertio *Apparuit Arida*, segregata, ut sat notum ex dictis, ab aquis. indicaríque, volunt, illis: *Spiritus* DOMINI *ferebatur super aquas.* Unde, ad rem jam inquam, hanc faciem Terræ, aut illam, maturiùs apparere, pronum fuit contigisse, haut secus atque in madido pavimento sæpe videre est, citiùs quid illo, vel alio, siccum reddi, prout præ ceteris emineat, adsitve Venti flamen. Nec aliter fit in amnium insululis, ut passim visitur per æstatem. Quò & mirificè spectat argutum id Eugubini in

* Adi Tostatum.

in Cosmopœiâ, opinantis videlicet, Et tertiâ illâ Hexahemeri die neutiquam simul, & semel, Tellurem aquis detectam; sed ita prorsus particulatim, anteriúsque, aut, ut quæque pars altior excederet; aut, uti voluit Tostatus, ut à Vento, illac vehementer flante, exiccaretur. Nostræ itaque Menti, quam assertum imus, obsistere nempe, sanè injurium sit, dum vel ipsa Sors, Fórsve quiverit jam præstitisse ei fundum, ac fulcimentum.

Et denique postremò succurrit nobis, quod apud Rabbinos jampridem legimus; summi Viri vel magni, vel parvi faciant, ut illis visum sit. Nugivendulos homines illos sat bene novimus, monumenta tamen, olim illis obvia, latuerunt nobis; quæ etsi adulterare consueverint, nonnunquam incorrupta protulerunt, res miras suppeditantia. Aiunt ergo, *Ipso Cataclysmo Telluris superficiem in humorem solutam ad trium palmorum altitudinem.* Nec rerum Naturæ hoc adversatur, *Maximam enim caussam*, verba sunt * Lucii nostri Senecæ, *ad se inundandam, Terra ipsa præstabit: quam diximus* (quòd & aliàs sæpè retulit) *esse mutabilem, & solvi in humorem.* ac subdit: *Incipit ergo putrescere, dehinc laxata ire in humorem, & assiduâ tabe defluere.* Hinc itaque, non

* Lib. 3. cap. 29. *Natur. Quæstion.*

non aquis jam tantùm obruta Terra fuit, sed laxata, & dissoluta; ut alia superficies, quæ superior deinceps exstaret, denuò appareret. Scelera nanque TERRÆ expiari non posse, autumabant, vel toto Pelago, quo perfusa adeò diutiùs latuit (licet Expiationibus postea, ut alibi * notamus, adhibitum id) nisi rudis, innoxiáque facies ejus de integro ex aquis prodiret: Ipsis item aquis alteram, Veterem scilicet, & infectam, si non obtegeretur in posterum, solveretúrve, nequaquam supplicio satis constringi. Hocce ergo necessarium fuisse, inde jam discimus: Sed aliter potuisse commodiùs fieri, in propatulo à nobis positum est, ut ediscant alii.

* Ad Arbitrum.

EN summa præstantium rationum, quibus hîc volumus, Consilium nostrum inniti: Nonnullas tamen insuper subnectere, non difficile foret; quas in præsentiâ prætermittimus, Alii alicubi appendunt. Viam enim patefecimus jam Viris studiosis, quam inire queant, ac munire deinceps haut ægrè. Ubi præterea succurrent indubiè illis obviàm & aliæ rationes, quæ fugerint nos. Plures etiam, quas anteriùs sine animadversione præterlábi, pronum erat; præmoniti jam sentient, & huc mirificè condu-

cere. Ceterùm illa extenuare, quæ contrà dici possent, confutaréque, ac prorsus diluere, nostrarum partium esse, fatemur libenter, ac sordidum subterfugere, * μὴ δόξωμ᾽ ἔρημον ἀφῆκέναι τὸ ἀγῶνα. Eapropter nos & in hanc ecce descendimus arenam, pleni etiam fiduciæ; paucis tamen rem prosequi, studiosè intendimus.

* *Ne videamur desertum certamen reliquisse.*

Pluscula enim ex illis planè sunt, quæ jure vocari debent *Vafræ Quæstiunculæ* cum † L. Seneca, & *Sophismata* Græcis dicuntur, Ciceroni *Cavillationes.* Nihil aliud igitur erit de *Henochiâ* Urbe inquirere, conditâ à Caino, & filii Henochi nomine appellatâ; Sulpitio tamen Severo ineptè invito, de Caino sic loquente Lib. 1. Hist. Sacr. *Filium Henoch habuit, à quo primùm Civitas condita est, Auctoris nomine vocitata.* Ubi conditorem filium fecit, non patrem, * Mose ipso adversante. Objicient ergo, *Hujus Urbis hodie maxima, & ingentis molis fundamenta viseri juxta montem Libanum, & vocari ab incolis, Civitatem Cain.* In Syriâ verba innuunt versus Orientem. Ast ex quibusnam testibus hoc illi poterunt producere? Ex victis certè quibusdam, ac cassis, & quos scopticè eviratos dicerent Comicus, & Satyricus, puta Ioannem Nauclerum, qui Ioannen Nannium refert. Recutiti autem alibi

† Epistol. 111.

* Genes. cap. 4. comm. 17. Et Iosepho Lib. 1. *Antiquit:* cap. 3. ubi & reliquias Vrbis superstites non meminit. & minimè, si exstarent, præteriret; uti Monumenti Astronomici, superstitis adhuc, paullò post non præterit.

alibi locant, in Desertâ nempe Arabiâ: ubi & illa exstent reliqua: In Assyriâ Genebrardus: Alii in Transtigridanâ quadam Regione. Unde, ex varietate, inquam, & fidem nutare, liqueret. Utcunque verò si, alicubi illa monumenta adhuc manere, cadat suspicio, apud Viterbum duntaxat investiganda sunt, Patriam scilicet illius fabulatoris eximii. De *Joppe*, Palæstinæ urbe, inquit noster Pomponius Lib. I. Cap. XII. *Est Joppe ante Diluvium (ut ferunt) condita.* Sed parum ut fidat fabulæ, *ut ferunt*, addit: non tamen, qui ferat, superest hodie, qui à Melâ non acceperit, ut nos ibidem dicimus. Nec aliter nugantur, qui diversa hodie nonnulla pariter comminiscuntur *Adami Sepulcra.* * quorum vel ipsæ solùm dividiæ, si abessent, quæ impugnant, alia, infirmarent commentum. † Nec aliter item, qui tradunt, Viri piissimi, designántque Loca, Ubi Adamus peccatum suum agnoverit, defleverítque; Ubi DEO Sacra fecerint Abel, & Cainus; Ubi alter interfecerit alterum; ac denique Ubi uterque, si superis placet, unà sepulti. Quæ sanè post se longè relinquant aniles ad Lares narratiunculas.

* Adi Maluend. *De Paradiso* cap. 54. & sequent.

† Et Bould. Lib. I. *De Eccles. ante Leg.* Cap. 15. primæ edition.

POSSIT tamen obsisti aliquod potius Monumentum. Josephus de Sethi nepotibus ait

I 2 Lib. I.

Lib. I. Antiquit. cap. III. Σοφίαν τε τὴν περὶ τὰ οὐράνια καὶ τὴν τούτων διακόσμησιν ἐπενόησαν. ὑπὲρ δὲ τοῦ μὴ διαφυγεῖν τοὺς ἀνθρώπους τὰ εὑρημένα, μὴ δὲ πρὶν εἰς γνῶσιν ἐλθεῖν φθαρῆναι, προειρηκότος ἀφανισμὸν Ἀδάμου τῶν ὅλων ἔσεσθαι, τὸν μὲν κατ' ἰσχὺν πυρὸς, τὸν ἕτερον δὲ κατὰ βίαν καὶ πλῆθος ὕδατος, στήλας δύο ποιησάμενοι, τὴν μὲν ἐκ πλίνθου, τὴν δὲ ἑτέραν ἐκ λίθων, ἀμφοτέραις ἐνέγραψαν τὰ εὑρημένα. ἵνα καὶ τῆς πλινθίνης ἀφανιθείσης ὑπὸ τῆς ἐπομβρίας, ἡ λιθίνη μείνασα παράσχῃ μαθεῖν τοῖς ἀνθρώποις τὰ ἐγγεγραμμένα δηλοῦσα. καὶ πλινθίνην δὲ ὑπ' αὐτῶν ἀνατεθῆναι. μένει δ' ἄχρι τοῦ δεῦρο κατὰ τὴν Συριάδα. Vertit Gelenius: *Sideralem Scientiam, ac Cælestium rerum cognitionem excogitaverunt. Ne autem inventa sua ex hominum notitiâ dilaberentur, & priùs perirent, quàm pernoscerentur, scientes Adamum universalem rerum interitum præcecinisse, unum incendio, Diluvio alterum, excitatis duabus columnis, utrique sua inventa inscripserunt: ut si lateritiam Diluvio deleri contingeret, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret; & quæ inscripta continebat, spectanda exhiberet. Aiunt enim lapideam illam ab ipsis dedicatam: quæ & nostris temporibus exstat in terrâ Syriâ.* Manere adhuc, cùm in vivis ageret, Columnam ante Diluvium excitatam, tradit Josephus; &, qui ab illo acceperint, non pauci. Nec ejus fidem ego parvifaciam, dum existere asserit: ambigam tamen,

Quòd

Quòd excitarint ante Diluvium. & æquè ac nos, puto, eum ambigere quivisse: illi enim, ex quibus & ipse potuit haurire, falli ut nos potuêre; cùm rem ipsam variò memoriæ prodi, constet satis. immò ab Scriptoribus priscis confundi jam olim, maléque haberi, nostra hîc observatio est.

Epigenes, *gravis Auctor in primis*, * Plinio Auctore, quid valdè simile Babyloniis tribuit hisce verbis, quæ oportet perpendere: *E diverso Epigenes, apud Babylonios* DCCXXX *annorum observationes Syderum, coctilibus laterculis inscriptas, docet.* De observationibus planè sermo est, quibus incubare studiosè, notum consuevisse Chaldæos, & Babylonios, longè post Alluvionem universalem. Cicero Lib. I. De Divinat. *Contemnamus etiam Babylonios, & eos, qui ex Caucaso Cæli Signa servantes, numeris, & motibus, Stellarum cursus persequuntur.* Et mox, quæ huc etiam faciunt: *In Syriâ Chaldæi cognitione Astrorum, sollertiáque ingeniorum antecellunt.* & ita sæpè ibidem. Omnes igitur in Loco consentiunt, ubi exstitisset tandem Monumentum illud Astronomicum, quodcunque illud foret. Syria nanque, quam designat Josephus, multiplex Regio est, ut ad Melam dicimus; & Babyloniam,

* Lib. 7. cap. 56.

Chaldæam, & plures alias Provincias complectitur, quas ceteri memorant. An verò excitatum illud ante Diluvium sit, an postea, cùm adeò ab scriptis id recedat vetustissimorum, quid, qui Vates non sit, nisi anceps, ac dubium, proferat? Ideò igitur variant ævo, qui cetera consonant; & Sethi Nepotibus Josephus dedit, dum Græci alii, & Latini Scriptores, longo post temporis intervallo, Chaldæis, finitimísque. Sed hoc ego magis adhuc suffulcio.

Eupolemus, priscus admodùm Scriptor, & quem haut semel laudat Josephus ipse, sic de Abrahamo loquitur in eâ, quam *De Judæis Assyriis* habuit, Disputatione, referente Alexandro Polyhistore istis verbis: * Δεκάτῃ δὲ γενεᾷ, φησιν, ἐν πόλει τῆς Βαβυλωνίας Καμαρίνῃ, ἥν τινας λέγειν πόλιν Οὐρίην· εἶναι δὲ μεθερμηνευομένην, Χαλδαίων πόλιν· ἐν τρισκαιδεκάτῃ γενέσθαι Ἀβραὰμ γενεᾷ, εὐγενείᾳ καὶ σοφίᾳ πάντας ὑπερβεβηκότα, ὃν δὴ καὶ τὴν Ἀστρολογίαν καὶ Χαλδαϊκὴν εὑρεῖν, ἐπί τε τὴν εὐσέβειαν ὁρμήσαντα, εὐαρεστῆσαι τῷ Θεῷ, &c. *Ætate decimâ Camarinæ, quæ Babyloniæ civitas est, quámque Urien nonnulli vocant, Græci Chaldæopolin interpretantur, Abraamum natum esse, tradit* [ipse Eupolemus.] *Qui cùm nobilitate, ac sapientiâ omnibus anteiverit, tum verò Astrologiam pariter, &* * *Chaldaicam invenerit, singulari studio pietatis Divinam*

* In *De Iudæis*.

* *Chaldaica* eadem atque *Astrologia*.

vinam sibi Gratiam etiam conciliarit,&c. Et paullò post Astronomicam Scientiam attribuens Babyloniis, ab Abrahamo didicisse, statuit. Unde animadvertere jam est, non temerè perhibuisse * Marianum Scotum, *Virum ætate suâ admodum disertum*, ut dicit de eo † Sigebertus Gemblacensis, claruítque sexcentis abhinc annis, Abrahamum scilicet *Columnas* illas excitasse, non Sethi prolem. Quo nihil concinnius excogitari potest, ut omnia, quæ de Astrologicâ Chaldæorum peritiâ, & Abrahamo protodidascalo eorum, tot antiquis Scriptoribus traduntur, conveniant inter se. Præterquàm quòd alii ex Hebræorum Magistris *Tabulas* faciunt, quæ *Columnæ* Josepho dicuntur; & *Ahenam*, non *Lapideam*, agnoscunt alteram, Auctore in Chronographiâ Genebrardo. Itaque rem controversam adeò, ac plenam dissensionum, parum jam formidare, non diffiteor.

* In Chronico.

† In Catalogo Script. Ecclesiast.

PRÆTEREA Moses, cùm minui jam inciperent Eluvionis aquæ, cap. VIII. Geneseos Comm. III. inquit: וַיָּשֻׁבוּ הַמַּיִם מֵעַל הָאָרֶץ הָלוֹךְ וָשׁוֹב, Vulgarus ad verbum ferè reddidit: *Reversæque sunt aquæ de Terrâ euntes, & redeuntes.* Quæ nonnemo forsàn ad nothum sensum deflectat, quasi, Quòd reversæ aquæ sint, dicat Sacer Contextus,

tus, quæ Terram pristinam obruissent, ad voragines suas, & cavernas. Atenim de qualibet Terrâ, licet esset tunc primùm prodita, dici posset, *Aquas Reverti*, quippe quæ *multiplicatæ sunt*, *&* *prævaluerunt nimis* super Mare etiam, quod indubium est, non tantùm super Terram, cùm *rupti sunt omnes fontes abyssi Magnæ*, *&* *cataractæ Cæli sunt apertæ*. Aliter enim fieri non posset, Ut quindecim cubitis altior aqua montibus superesset; cùm plures nimirum montes & Mari superfuerint ante Diluvium. Ceterùm genuinum illorum sensum verborum volunt esse Hebræorum Magistri, Quòd redditus sit Aquis motus nativæ fluctuationis, postquam diminutæ sunt. itaque facta sit Reversio tunc Aquarum ad fluendum, & refluendum; nam vis undarum ipsa & undis ipsis fluctuantem vicissitudinem ademerat. Illud est Chronologiæ Hebræorum Majoris, quæ *Seder olam Rabba* inscribitur, cap. IV. Genebrardo Interprete: *Facta autem est pluvia per quadraginta dies, & quadraginta noctes, usque ad* XXVII. *mensis Cisleu, qui Decembri consonat. Et invaluerunt aquæ super Terram centum quinquaginta diebus, adusque primum mensis Sivan, id est, Maij.* Tvm aqvæ consistebant, et silentes conqviescebant, *impiis*

intra

intra eas supplicium debitum luentibus, prout quisque suis operibus commeruerat. Expletis centum quinquaginta diebus minui cœperunt aquæ, &c. Quod & pluribus ex nostris cum Caietano unicè adrisit.

Pergit itaque Moses ostendere, imminui adhuc aquas, ac subdit comm. VIII. Quòd *emisit Noë columbam post corvum, ut videret, si jam cessassent aquæ super faciem Terræ. Quæ cùm non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in Arcam: aquæ enim erant super universam Terram: extenditque manum suam, & apprehensam intulit in Arcam. Expectatis autem ultrà septem diebus aliis, rursum dimisit columbam ex Arcâ: At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo.* Ethnici & hoc subodorati sunt, ac per nebulam memoriæ prodiderunt. Abydenus Commentariis de Assyriorum rebus, & Chaldæorum, tradit, Sisithrum, quendam eorum Regem, ex Saturni prædictione conscium Cataclysmi, Numinis Mandatis obsequutum, continuò navigationem Armenios versus instituisse, in eaq; repentino divini Vaticinii eventu fuisse illicò occupatum. Postquam verò tempestas remitti cœperat, Μετὰ δὲ τῶν ὀρνίθων πεῖραν ποιεύμενος, εἴ κου γῆν ἴδοιεν τοῦ ὕδατος ἐκδῦσαν. αἱ δὲ ἐκδεχο-

μέλλον σφέας Πελάγεος ἀχανέος, ἀπορρέουσι ὅκη καθορμήσονται), παρὰ τὸν Σείσιθρον ὀπίσω κομίζον), &c. *Aves emittit explorandi gratiâ, sicubi Terram undis emersam, atque existentem viderent. Quæ cùm immensum in Pelagus incidissent, nec quò succederent, omnino quicquam occurreret, ad Sisithrum denuò revolarunt.* Et plura, quæ è Mose videntur mutuata. Ast Plutarchus Deucalioni tribuit, nominatímque Columbam memorat in *De Solertiâ animalium.* Superstitem ergo Olivam, à Columbâ allatam, forsàn dicent cum D. Chrysostomo, viriditatem adhuc sub aquis servasse; & inde, postquam foràs exiisset nimirum, ramum virentem ad Noachum tulisse volucrem. Olea enim ex illis planè, quibus folia non decidunt, & perpetuò virent. Sed hinc evadere, lubricum. Hoc ex dispensatione Divinâ factum, volunt plures; & quòd Columba invenerit folium, & quòd ore tulerit. quæ sententia est ibidem etiam Chrysostomi. D. Ambrosium libet, non longè ab illo abeuntem, audire Lib. *De Noë, & Arcâ,* Cap. xx. *Denique habes & in Genesi, Quòd jusserit* D e v s, *ut Terra herbam pabuli germinaret, & lignum fructiferum cum fructu suo: & statim ejecit Terra herbam pabuli, habentem semen secundùm genus suum, & lignum fructiferum. & ille dies unus fuerit,*

fuerit, quo hæc DEUS *jussit, aut fecit. Ergo beneficii sui* DEUS *non immemor, memor autem nostræ iniquitatis, Opus suum ejusdem, qua cœpit, temporis quantitate* REPARAVIT. Ubi igitur, inquam nunc ego, EJUS nutui pareret Natura, Quid plus laboris impenderet, dum hac, vel illâ Tellure, moliretur frondescentem arborem?

Sed quia ubicunque aqua hæret, ad *Digitum* DEI* recurrere, nolumus licere nobis; effugium, non obvium ita, nos denuò exquirimus. Sciant igitur, si nondum Studiosis innotuit, Maria quoque suas Sylvas habere, Nemora, ac herbascentia Viridaria, quæ & arboribus constant, arbusculísque, quà frugiferis, quà sylvestribus; nam his placet nominibus eas distinguere. Inquit Plinius Lib. XIII. cap. XXV. *Nascuntur & in Mari Frutices, Arborésque, minores in Nostro: Rubrum enim, & totus Orientalis Oceanus refertus est Sylvis.* & inde per Caput totum. ac speciatim de *Oleâ* ibidem: *In Mari verò Rubro Sylvas vivere, Laurum maximè, & Olivam, ferentes baccas.* Idemque aliàs rursus. Omnia autem ad verbum ferè ex Theophrasto sumpta. unde & restitui ad nitorem suum quirent nonnulla, quę infectione librariorum apud Plinium laborant:

* Quod Tragici, Ἀπὸ μηχανῆς Θεός. *Cum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad Deum.* Cicer.

 laborant:

laborant: prolixè nanque argumentum id prosequitur ipse Eresius Philosophus Lib. IV. *Hist. Plantar.* Cap. VII. VIII. IX. ubi multigenis Maria Plantis, & Arboribus consita invenies, radicum fibris alescentibus nempe, vigentibúsque; ac tempestatibus suis frondescere solitis, & florere; florem autem earum fructum deinde protrudere; & fructum postea decidere fraccescentem; folia tandem omnibus delabi, prælterquàm illis, quæ vernant continuò frondibus, ut *buxus, laurus, oliva*, &c.

Opportunè igitur TELLUS emergeret è Mari tum etiam primùm cum Herbis suis virentibus, Lignísque pariter fructiferis; uno videlicet quolibet faciente semen juxta genus suum, nam sic Ei à principio rerum imperatum est. Unde & aliud poterit dilui haut incommodè argumentum. Objicient item forsitàn, DEUS cùm primùm tertio die jussit *Apparere Terram*; & jussisse unà, *Herbam germinare*, & *Arborem multiplicem*. Quod pariter & necessum fieri videbatur, cùm iterum Terra prodiret Nova post Diluvium. Ubi in proclivi est animadvertere, germinationis ex verbo DOMINI virtutem Universæ Telluri accessisse tunc primùm, & foras prolatæ, & sub aquis latenti:

latenti: providente enim Cæleste Opifice, opus & deinceps fore, ut Terrę plurimum, quod tunc lateret, olim etiam in lucem produci. Aliter quidem frustrà planè quidquid Terræ sub aquis perpetuò manendum esset, germinandi vim (quæ ab initio usque inest ei) quoquomodo accepisset. Itaque potiùs nobis proderit jam ipsummet, quod objecimus.

Nec plura præterea succurrunt nobis offendicula, quibus obviam ire, necesse, quòd in contextu Dissertationis ipso non fecerimus satis: Unum tamen si excipias videlicet, quod plus periculi, haut dubiò vereor, ne creaverit nobis. Cùm Historicus Sacer de quatuor illis Fluviis loquitur, qui dividebantur ex alveo ingenti illo, postquam ex Paradiso voluptatis exiisset, addit, Illos peragrare diversas Regiones. Ubi constans est, de illis loqui, quæcunque illæ sint, tanquam ævo ejusdem Mosis existerent. Verba Contextus planè indicant com. XI. cap. II. Vulgatæ Editionis: *Ipse est, qui circuit*, &c. *Ipse est, qui circumit*, &c. *Ipse vadit*, &c. Si superstites ergo tunc temporis Regiones illi alluebant Amnes, quorum divortia, cursúsque assignantur Tellure etiam Primâ, quæ sedes exstitit hominum à condito Orbe Diluvium us-

que; aliter enim fieri non poterat, quin Regiones forent ejusdem Telluris, & ante, & post Diluvium: &, quod inde consequitur, unius duntaxat superficiei, neutiquam duarum.

Si una sit, an duæ, Conditor scit Omniscius. Duas autem fuisse, haut secus poterit ex ipso Sacro Codice patefieri; atque unica esse, primâ nunc fronte meritò & nobis Terra visa est. Et præterquàm quòd, pluribus supra jam adductis, satis superque Terram adseruerimus Duplicem: denuò quoque ex verbis ipsis Contextus Sacri, quæ adversari nobis videbantur, putamus evinci. Inquit Moses comm.x. ejusdem cap.II. ונהר יצא מעדן להשקות את־הגן ומשם יפרד Quæ docti Hebraizantes reddunt: *Et Fluvius egrediebatur ex Heden ad irrigandum Hortum, & inde dividebatur*, &c. Vulgatus Interpres pariter, quæ nobis conducunt: *Et Fluvius egrediebatur*, &c. Ubi ut de re loquitur præteritâ Historicus. Atenim Fluviorum vocabula, cursúsque, & nonnulla alia, tanquam præsentia memorat. En verba Prototypi, quæ subnectuntur שם האחד
Comm.11. פישון הוא הסבב את כל־ארץ החוילה אשר־שם הזהב : וזהב הארץ
ההוא טוב שם הבדלח ואבן השהם : ושם־הנהר השני גיחון הוא הסובב את
כל־ארץ כוש : ושם הנהר השלישי חדקל הוא ההלך קדמת אשור :
Nomen unius [Fluvii] *Pison: ipse Circuit totam Terram*

Terram Chavilah, ubi est aurum, & aurum Terræ illius bonum: est ibi bdelium, & lapis onyx. Et nomen Fluvii secundi Gichon: ipse circuit totam Terram Kusch. Et nomen Fluvii tertii Chidekel: ipse Vadit ad Orientem Assyriæ, &c. Nec aliter Vulgatus, quem supra retulimus. Ubi & Duplicem ergo nostram subindicari Tellurem, duplici temporis ratione, nemo cunctetur, qui diligenter expendat: Primam, cùm dicitur, Ex Terrâ Heden egredi vastum illum Torrentem. & ut ostenderet, de ipsâ, quasi non existente, loqui, *Egrediebatur*, inquit. Alteram, cùm subjicit cursus Fluviorum varios, adhuc permeantium Orbem: Ipsámque ævo suo manere, adstruit, dum circumiri adhuc illis, subdit; quocirca & *Circuit*, & *Circumit*, profert exertim.

Duæ igitur Terræ diversæ subintelliguntur, & utrique eademmet Flumina adesse, certum est: & haut obscurè Sacer Historicus etiam subindicare visus. Primâ autem aquis vindictæ Divinæ submersâ, qua tamen ratione ipsamet Flumina ad alteram quiverint Suffectam Terram pervenire, difficile prorsus habetur. ubi verò obtinuerimus illud, tantum abest, quòd fulmen id, adversus nos ejaculatum, ut pote

nocuum

nocuum declinemus; quin potiùs asciscere potuerimus jam, uti proficuum fulgorem.

Patres illi Syri, quos supra laudavimus, cùm bifidam illam Tellurem commenti sunt; & post Diluvium familiam Noachi incolere fecerunt Terram, ad id usque tempus hominibus vacuam, omnem lapidem pariter moverunt, ut Fluvios hos illuc trajicerent. Ambabus Terris eos interesse, ita ac nos palàm senserunt. Plures tamen illorum, ut rem ingentis moliminis facili negotio redimerent, * Opere Divino patrari, autumarunt. Sed nonnulli alii, cum Ephraïmo eorum Doctore, Paradisum scilicet, situm alterâ Terrâ, sublimiorem adeò hacce Terrâ nostrate positum esse voluerunt, ut illinc per præcipitium delabi Fluvios, foret necessum, vasto impetu, ac fragore. Itaque impelli illos, cogiq;, existimabant, ac sub magnum Oceanum rapi; ut inde rursus prosilirent, ebullirentq; in Terram, quæ nunc incolitur. Nobis autem, quibus neutrum adlubet, primum quippe pigrum effugium, alterum quippe insubidum, ac ridiculum prope; exquirere aliud, nec inconditum sanè, nec obsoletum, animus est: quanquàm hîc cuilibet satis quidem futurum, ut quietâ mente consisteret, præseferre, planè constitisse jam

* Cap. 9. & 11.

jam (uti ego existimo) Duplicem Tellurem, ubi fluitarint Amnes. qua tamen ratione ex primâ traducti forent ad alteram, vastissimæ enim Scientiarum Abysso jure esset relinquendum. *Id genus* quippe *rerum Eventa magis, arbitror,* ait * Cicero, *quàm Caussas quæri oportere.*

* Lib. 1. De Divinat.

Verùm tamen in antecessum præmittimus, Ex miro opificio illo, Deliciarum scilicet Horto, videri voluisse DOMINUM, Duntaxat remanere quatuor eos famigeratos Fluvios, in spectaculum, monimentúmque Magni Operis in Terrâ nuperâ, post Cataclysmum superstites futuros. Cogitare quippe, Paradiso in Eden procellam Universi pepercisse, penitus rem perspectam non habere, certo certius equidem puto. Præterquàm quòd & Doctiorum hodie † prævalet in Scholis sententia, opinantium nimirum, Tunc pariter temporis etiam subversum fuisse, ac cetera universæ Telluris. Sed miror valde, dum tot hinc inde cogunt argumenta, quæ inficiantur existere, fugisse ipsos potissimum, & quod vel unicum foret satis evertendæ veteri existimationi asserentium. Punitur DOMINUS Tellurem universam, quòd Primus Parens in eâ deliquisset. Ecce vox, cum ipsam execratur, Cap. III. Genes. comm. XVII.

† Fusè Pererius in Genes. Lib. 3. Quæst. 5. Et Lib. 7. Quæst. 7.

ולאדם אמר כי שמעת לקול אשתך ותאכל מן־העץ אשר צויתיך לאמר לא
תאכל ממנו ארורה האדמה בעבורך בעצבון תאכלנה כל ימי חייך ׃ וקוץ
ודרדר תצמיח לך ׃ Et ad verbum ferè Vulgarus: *Adæ verò dixit, Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes: Maledicta Terra in opere tuo: in laboribus comedes ex eâ cunctis diebus vitæ tuæ: Spinas, & tribulos germinabit tibi*, &c. Cùm verò exinde tot criminum poſtea propagarentur ſoboles, ut infeſtam meritò quiverint Divinam reddere Juſtitiam; en ſibi quòd randem non temperarit, quouſque univerſali præterea undarum exundatione condi feciſſet Terram totam ipſam annum integrum; ſi jam (ut volumus) adhuc adhuc non conditur. Inde, & ad ſterilitarem Illâ denuò longè majorem redactâ, ſordet etiam hodie, ampliuſque riget, & ſqualet vel apud Paradiſiperas ipſos. Præcipuum tamen ipſiſſimum Locum, ubi perperratum facinus ſummum, ſcelerumq; omnium, flagitiorumq; ſeminarium, atque ſcaturiginem, ſervari adhuc ambiunt, vireſcentem nimis, ac floridiorem; adeoq; eximiâ pulcritudine præditum, ut ibidem, Elyſiorum vice, hoſpitio poſſint accipi liberali Dilecti in primis DOMINO, haberiq; in deliciis.

Proh

Proh DEVS, unicum ſanè beatorum Delicium! Sedem herclè Divorum putare quorundam horribilem illam, ac formidoloſiſſimam officinam peccati,

Non ſani eſſe hominis, non ſanus juret Oreſtes: & nos itidem, ſi inſani non ſumus. Paradiſum igitur alium, ſatis diverſum, hoc eſt, Hortum voluptatis, & amœna vireta devenêre incolere Henoch, & Elias, & Tertius forſàn nonnemo (ut alibi dicimus) quæ culpæ fæcibus haut inquinata, ac minimè infecta, nequaquam putarent. Abſit itaque, Quòd adhuc ſuperſit ille Paradiſus. nam potius videatur admodùm arridere, Noxiæ pœnam illicò eundem ſubiſſe; atque univerſam Tellurem perpeſſuram eſſe, nunc proximè audivimus: ſiquidem ille audiet invicem ſons neceſſariò Terrarum Orbis totius præcipuus, ac princeps. Aruiſſe ergo ſtatim ejus virorem, conjicere pronum eſt; &, amiſſâ ſpecie liberali, ac formâ eleganti, & decorâ, ſqualidum eum, & deformem vepribus ſcatuiſſe, dumis, & ſentibus: ac denique ſubinde pariter ſubmerſum eſſe ex Noëticâ circumluvione.

Atenim, inquam, exinde reliquos quatuor illos Amnes ſcaturientes, apud Noachi nepotes deinceps delabi, credere par eſt; & in Terram

ram hancce haut importunè traductos, quandoquidem constans res sit, Aquam ante Diluvium fæcibus peccati non contaminatam, ut supra jam tetigimus. quapropter & eidem, & plebi ejus pisculentæ, pepercerit DOMINUS: nam nec Maledixisse videtur, nec punivisse. Unde licet etiam conligere, ex primævo illo sæculorum decursu, priscis hominibus ignotam Artem prorsus Naviculariam: cùm postea jam sceleratis hominibus

Terra parum fuerit. Terris adjecimus undas,
Fortunæ miseras auximus Arte vias.

Quam mortalium effrenatam, & immanem dementiam censoriâ, ac satis rigidâ animadversione sæpè vel Gentium aviditas effrons, & inexhausta insectata est.

Nequicquam DEUS *abscidit*
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiæ
Non tangenda rates transiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas!

Quippe & Poëtæ accinunt, nec indecenter adeundi, in primis Propertius, & Horatius.

Sed his nunc commodè prælibatis, utpote quæ adstruant, haut ineptè, transmitti ad nos Flu-

Fluvios eos ultramarinos; rationemq; reddant, cur & fórent transmissi: propiùs & excutimus jam, qua id ratione fiat. Lucius Seneca Lib. III. Natural. Quæstion. cap. II. inter *Aquarum discrimina*, quæ *Ponderis* sunt recenset; nam *Leves, & Graves sunt*, inquit. Nec longè hinc Ægyptii abibant, cùm sexus discrevêre; in *Marem* & *Feminam* dispescentes nimirum. *Aquam virilem vocant Mare*, de ipsis ait ipsus * Hispanus Philosophus, & Graviorem subindicat: *Muliebrem omnem aliam*, & Leviorem designat. Ut autem nobis proficiat discrimen, ediscimus ex Plinio Lib. II. Cap. CIII. *Dulces Aquæ Mari invehuntur, Leviores haut dubiè: ideò & Marinæ, quarum natura Gravior, magis invecta sustinent*. Et inter Dulces quoque ipsas eandem ponderis rationem servari, attestatur luculenter. ibidem subdit: *Quædam verò & Dulces inter se supermeant alias: ut in Fucino lacu invectus Amnis, in Lario Addua, in Verbano Ticinus, in Benaco Mincius, in Sevinno Ollius, in Lemano Rhodanus.* † *Hic trans Alpes*, * *superiores in Italiâ, multorum millium transitu hospitales suas tantùm, nec largiores, quàm intulêre, Aquas evehentes. Proditum hoc & in Oronte, amne Syriæ, multisque aliis.* Quod de *Fucino lacu* prodit, unicè, puto, inlustrat

* Cap. 14.

† Rhodanus.
* Amnes ceteri memorati, *Addua*, *Ticinus*, &c.

ſtrat Vibius Sequeſter in Fluviorum Catalogò, revocátq; Amnis vocabulum fugitivum, quod nuſquam alibi: * *Pitornius, qui per medium Lacum Fucinum Marſorum ita decurrit, ut Aquæ ejus non miſceantur ſtagno.* Quod de *Rhodano*, noſter Pomponius Lib. II. *Deinde Lemano Lacu acceptus Rhodanus; tenet impetum; ſeque per medium integer agens, quantus venit, egreditur.* Cur nam igitur jam ex Heden, quæſo, & Amnes profluentes, cùm Locus nunc ipſe Mari ſit obſeſſus, eundemmet non ſupernatent Mare: quandoquidem Aquæ videlicet Marinæ, quarum natura gravior, invecta ſuſtineant magis?

* *Pitonius* legit Cluverius.

Sive ampliùs forſân lubeat nobis (nam & aliter Fluvii etiam tranſiliunt Maria) ut Quatuor Iidem nimirum ſubter Aquas ſalſas immerſi, & à confuſione peioris undæ ſervati, poſtquam longum egêre curſum, commodè nunc emergant fontibus, quos agnoſcunt, ac deſignant Geographi recentes. En ut * Plinius & hoc quoque efferat: *Quidam verò Fluvii, odio Maris, ipſa ſubeunt vada, ſicut Arethuſa fons Syracuſanus, in quo redduntur jacta in Alpheum, qui per Olympiam fluens, Peloponneſiaco litori infunditur.* Sed omnium optimè Noſter Mela (quem ex more & Plinius exſcripſit) cùm de Alpheo ipſo,

* Eodem loco.

&

& Arethusâ loquitur extremo Lib. II. *In iis Syracusis mirabilem Arethusam. fons est, in quo visuntur jacta in Alpheum amnem, ut diximus, Peloponnesiaco litori infusum. Unde ille creditur, non se consociare Pelago; sed subter Maria, Terrasque depressus, huc agere alveum, atque hîc se rursus extollere.* In Achaiâ mergitur Alpheus, & in Siciliâ rursus effunditur, *transjecto Mari* scilicet, ut verbum Senecæ est, *& vastissimo* sanè. Quod idem puta dictum de quolibet Flumine alio. idem quippe cuilibet posset pariter contingere: ut multis etiam usuvenit aliis; quæ longum recensere. Ite ergo jam Syri cum vestro præcipitio; opus quidem non est: Ite eruditissimi Interpretes Sacri, & vanas cogitationes vestrarum hîc descriptionum amovete, quibus soliti angi, ac mare cælo miscere; diversi nanque Fluviorum ortus haut ægrè turbas sedabunt. Quos insuper magis adhuc & suffultum imus.

Mirum profectò est, quod apud Diodorum Siculum inveni Lib. I. *Biblioth.* de origine *Nili*, fluminis ex illis quatuor memorati: *Sacerdotes* scilicet *Ægyptios ex Oceano, Terram circumfluente, nasci Nilum, affirmasse.* Verba Diodori sunt: Οἱ μὲν κατ' Αἴγυπτον ἱερεῖς ἀπὸ τοῦ περιῤῥέοντος τὴν οἰκουμένην Ὠκεανοῦ φασιν αὐτὸν τὴν σύστασιν λαμβάνειν. Applicitum jam

jam ad litus, poſtquam à Paradiſo uſque transjecit Mare, videor mihi verbis hiſce Nilum tueri. Sic enim duntaxat tranſitum ejus indicabant Sacerdotes Memphitici. aliter namque quis ne fando unquam audivit, ex Oceano quendam oriri Amnem? ex eo, inquam, Oceano ἀπὸ τοῦ περιῤῥέοντος τὴν οἰκουμένην, *circumambiente Terram*. Alioquin quippe ex Maris occultis voraginibus exire, non Nilum tantùm, ſed unà Fluvios omnes, opinari quiverant cum Doctioribus & viri illi doctiſſimi. Salomon cap. 1. Ecclesiaſtæ inquit: כל־הנחלים הלכים אל־הים והים איננו מלא אל־מקום שהנחלים הלכים שם הם שבים ללכת׃ Vulgata interpretatio habet: *Omnia Flumina intrant in Mare, & Mare non redundat: ad locum, unde exeunt Flumina, revertuntur, ut iterum fluant.* Unde Seneca videtur ſumpſiſſe mutuum: † *Et ob id Maria non creſcere, quia quod influxit, non in ſuum vertunt, ſed protinus reddunt*. De hacce tamen origine ſermo ibi non eſt. Sacerdotibus autem iis rectè illud innotuit, penes quos erat Ægyptiis ſumma, & arcana Sapientia, quam ex Hebræis hoſpitibus quiverant didiciſſe, ipſóque Moſe, eorum Doctore, & Duce, ut * alibi dicimus. Ægyptiorum monumentis conditam offendit originem illam Nili Siculus Græcus, prodidítque deinde, ne-

Comm. 7.

† Lib. 3. *Quæſt. Nat.* Cap. 5.

* Opere noſtro luculento *De Divinatione*.

nesciens, reor, quod proderet: posteri parvifecêre haut dubiò, ignari prorsus ejus, quod ibidem lateret. Ita obtigisse & Lucano, nostra observatio est; singularique conligimus ex loco, qui Diodorum exprimit, omniaq; firmat præclarè. Mensis convivii remotis in Ægypto, multa petit Cæsar cognoscere Ægyptiacarum rerum ab Achoreo Sacerdote, quarum ille reddit rationem, & non paucis. Inprimis autem de Nili agens origine, & illam sententiam profert in medium sacerdos Ægyptius, quam petitam ab ipsis hominibus sacris Diodorus supra retulit. Versus sunt ex Lib. x. Pharsaliæ:

Rumor ab Oceano, qui Terras Alligat omnes,
Exundante procul violentum Erumpere Nilum,
Æquoreosque sales, &c.

Sed ineptè porrò multi recentes Eruditi de Incremento Fluminis capiunt, alii Incrementum miserè cum Origine confundunt: at rectè rejiciunt omnes cum ipso Lucano sub linigeri senis personâ. siquidem nec Fluminis Origo, nec Incrementum, nucleus est verborum, quæ Lucanus hausit ex Ægyptiis, sed putamen. trajectionem nanque Nili, transfretationemq;, quæ in illis latitar, nec ipse, nec recentiores senserunt. Huc autem & mirificè facere, puto,

Æthiopicas illas voces, quas Plinius interpretatur Lib. v. cap. ix. *Nilus cognominatus Astapus, quod illarum Gentium linguâ significat,* A QUAM E TENEBRIS PROFLUENTEM. &: *Astaboras lævo alveo dictus, hoc est, Ramus* A QUÆ VENIENTIS E TENEBRIS: *dextero verò Astusapes, quod* LATENTIS *significationem adjicit.* Æthiopes enim finitimi Ægyptiis, ex quibus didicêre.

Tigri item, alteri Fluvio ex Quatuor ipsis, fatale animadvertitur esse, Aquam sæpe, & Terram subire; occulteq; sic postquam longa satis spatia confecerit, rursus deinde se in superficiem exerere Telluris: uti vel *Nilo* ipsi accidere quoque* non procul à fontibus secundis, Strabo auctor est Lib. vi. Equidem verò, quod non protritum forsân adeò, de Tigri subjungo. Polyclitus, puto ego, Larissæus, qui Geographus memoratur, & Historicus insignis, Tigrin, prodidit, εἰς λίμνην τινὰ συμβάλλειν, εἶτ' ἐκεῖθεν ἐς τὴν θάλατταν ἐκδιδόναι: *In lacum quendam confluere, atque ex eo inde exire in Mare.* Fortasse & iste Lacus idem cum Thonitide Strabonis cuilibet obvio Lib. xi. *Per quem Tigris fertur*, inquit paullò ante finem, *à Niphate monte ruens, neque miscetur paludi ob velocitatem, à qua ei nomen:* nam

* Vide Plinium etiam Lib. 5. cap. 9.

nam sagittam Medi Tigrin vocant. In intimo Lacus recessu Tigris in voraginem incidens, longoque spatio infra Terram labens, apud Challonitidem emergit. Ecce ipsa quæ ejusdemmet verba sunt: Φέρεται δὲ δι' αὐτῆς ὁ Τίγρις ἀπὸ τῆς κατὰ τὸν Νιφάτην ὀρεινῆς ὁρμηθεὶς, ἄμικτον φυλάττων διὰ τὴν ὀξύτητα· ἀφ' οὗ καὶ τοὔνομα, Μήδων Τίγριν καλούντων τὸ τόξευμα. κατὰ δὲ τὸν μυχὸν τῆς λίμνης εἰς βάραθρον ἐμπεσὼν ὁ ποταμὸς, καὶ πολὺν τόπον ἐνεχθεὶς ὑπὸ γῆς, ἀνατέλλει κατὰ τὴν Χαλλωνῖτιν. Quibus accinit Dionysius Periegetes, Poëta σύγχρονος; quem & Eustathius, ejus Scholiastes, inlustrat verbis ipsis Strabonis. Nec aliter *Euphrati* obvenire, Flumini tertio, Auctor est † Onesicritus. hoc est, *Cum Tigri in Lacum influere*, ἐκβάλλειν εἰς τὴν λίμνην τόν τε Εὐφράτην, καὶ τὸν Τίγριν. Additque: Ἐκπεσόντα δὲ πάλιν τὸν Εὐφράτην ἐκ τῆς λίμνης, ἰδίῳ στόματι πρὸς τὴν θάλατταν συνάπτειν. *Rursumque Euphratem, è Lacu egressum, proprio ostio cum Mari jungi.* Nunc autem ita ratiocinari, cuilibet erit in proclivi: Si jocans, ludensque Natura, rerum sanè mirificus Opifex! Amnes eosdemmet transcendere fecit vastas adeò tum Aquæ, tum Terræ intercapedines: respectu item ad egregium facinus, ipsissimum effici, prorsus sat lubricum est. De *Gange* denique perhibet * Plinius: *Hunc alii incertis fontibus, ut Nilum; rigantémque vicina*

† Qui Comes Alexandri fuit, & Scriptor rerum Indicarum.

* Lib. 6, cap. 18.

† Cap. 55. *eodem modo, dixerunt.* Et † Solinus postea, ejus simiolus inficetus. Tranasse & Mare itidem, non deerunt, qui itidem dicant; qui conjiciant, plurimi erunt.

ATENIM cursus jam festinat ad Metas, & nostra ecce DISSERTATIO in fine laborat: Duo tamen adhuc præterea supersunt, quæ adeò sic faciliorem reddent ejus creperam sententiam; ut aliter id, quod adstruit, quotidie non fieri, Auditores vel nostri ipsi assentiantur libenter. Nam inundari Tellurem, & vice alternâ foràs Aliam proferri, usque eò Naturæ opus est passim repetitum; ut nec Fortunæ vicissitudines crebriores unquam mortalibus contingere, in propatulo positum sit. *Natura* L. Sisennæ. nanque *mutuò, & Fortuna*, verbum vetus est, *de Varietate certant: ac dum respuunt Constantiam, altera non cedit alteri.* Et primum Duorum erit hocce Documentum Naturæ.

Alternatio isthæc, nimirum & Aquæ, & Terræ, quam primi nos videmur comminisci; & inaudita fors ad aures nunc hominum accedit: fòrs, inquam, & ipsismet auribus familiaris admodùm jam pridem accessit. Quemnam fugit, Alienis locis conspectum sæpè utrunque Elementum, Nudaríque litora, Pelago

lago in ſe recedente; eadémque viciſſim alibi operiri, ſatis interiùs effuſis ſuper Tellurem aquis? Sic Terræ Mari continuò transmutantur, & Mare Terris: *Velut paria ſecum faciente Naturâ, quæque hauſerit hiatus, alio loco reddente,* effudit olim maſculum ingenium. Cuilibet notum hoc, modò ipſum uſquequaque non lateant vel obvii utriuſque Linguæ Scriptores, & Priſci, & Recentes. Abundè exemplorum ſegetis ſuggerunt & Strabo, & Plinius. quî verò Eruditione capitur reconditiori, Eratoſthenis adeat fragmenta, quæ reliqua ſunt, Hipparchi, Poſidonii, id genus aliorúmque; Externum Mare offendet cum Interno commiſſum, unicum, inquam, duntaxat Pelagus; haut ſecus atque Internum, & Arabicum, nihilo utrobique medio intermiſſæ Telluris: Contrà autem, ipſum, quod indigitatur Noſtrum Mare, Terram fuiſſe Continentem, nondum Oceano per Fretum Gaditanum infuſo. Ægyptum item univerſam, animadvertet, anteriùs obtectam Mari; & ulteriùs in Libyâ plagas ampliſſimas, nunc penitiſſimè mediterraneas, ultráq; etiam Ammonis Templum; &, ſi credimus Herodoto, *Mare fuiſſe ſupra Memphim, uſque ad Æthiopum montes*: Aſt ſubinde motu reciprocando, alibi

ab Interno Mari ablatas ferè Acarnaniam, & Achaiam, finibus eas Ambracio, Corinthióq; abligurientibus. Xanthus dixerat, Xanthus nempe Lydius. nam patriâ Lydus fuit, & res Lydias conscripsit (teste Srrabone Lib.XII.) exponens videlicet cujusmodi mutationes in ea Regione sæpenumerò fierent, Αὐτὸν ἢ εἰδέναι πολλαχῆ πρόσω ἀπὸ τῆς θαλάσσης λίθους τε κογχυλιώδεις, καὶ τὰ κτενώδεα, καὶ χηραμίδων τυπώματα, καὶ λιμνοθάλασσαν ἐν Ἀρμενίοις, καὶ ἐν Ματιηνοῖς, καὶ ἐν Φρυγίᾳ τῇ κάτω· ὧν ἕνεκα πείθεσθαι τὰ πεδία ποτὲ θάλατταν γενέσθαι: *Vidisse enim se passim procul à Mari lapides, conchylii formam referentes, aut pectinum, aut cheramidum effigies; tum Marinum lacum in Armeniâ, & Mattienis, inque Phrygiâ inferiori. Itaque sibi persuasum esse, Campos istos aliquando fuisse Mare:* Strato autem, qui Physicus, puto, cognominatus, ut conjicio ex Laërtio in *Stratone*, existimat ex adverso, τὸν Εὔξεινον μὴ ἔχειν πρότερον τὸ κατὰ Βυζάντιον στόμα, *Euxinum Mare non habuisse aliquando exitum, qui est ad Byzantium*; vi tamen aperuisse, Εἶτ' ἐκπεσεῖν τὸ ὕδωρ εἰς τὴν Προποντίδα, καὶ τὸν Ἑλλήσποντον, *ac postea aquam in Propontidem, & Hellespontum erupisse;* itaque & abripuisse tunc portiones non exiguas Europæ, & Asiæ, uti Plinius innuit etiam cap. xc. Lib.II. ubi jam hinc claret, cujus alioquin

loci ſententia lateret ſubobſcura. Sed plura jam exempla nos prætermittimus, ne tædio ſint; unde planè conſtaret, Parum videlicet Terræ hodie mortalibus agnoſci, ac parum ſimiliter Maris, quibus non contigerint palàm ejuſmodi vices: nec antiquitus, aio, tantùm; ſed heri, aut nudius tertius. Itaque quod volumus nos, Jure, & Meritò factum in Cataclyſmo; qui tamen inficias eat, eſſe factum, ſponte ſuâ quotidie id ipſum fieri, inficiari non poterit.

Nec aliter & de *Inſulis* exiſtimandum, faciunt ſatis eadem Monumenta Antiquorum; hauſtas quippe pleraſque eſſe profundo, & totidem plures emerſas aliàs ex Mari, ſæpe viſum eſt. *Theraſiam noſtræ ætatis Inſulam, ſpectantibus nautis in Ægæo Mari enatam*, meminit magnus * Seneca. Jucundum Hercules ſpectaculum! Et heſterno die, patrum videlicet memoriâ, duæ in Zelandiæ partibus Inſulæ, cum opidis, viriſq;, accolis nonnullis haut longè obtuentibus, abſorptæ. Horrificum ſpectrum! Non paucas etiam ſilentio præterimus alias, ſed negotium mihi erit cum *Atlantide* Inſulâ. Ejus apud Platonem in Timæo memoria eſt, locatq; ad Freti fauces Herculei in Oceano Atlantico. adſeriturq; ab eodem, Ἡ ἢ νῆσος ἅμα Λιβύης ἦν καὶ Ἀσίας μείζων,

* Lib. 6. *Quæſt. Natur.* Cap. 21.

μείζων, *Insula illa Lybiâ major, simul & Asiâ.* hoc est, reliquo forsitàn Terrarum Orbe; universus quippe, qui Cæli circunflexu tegitur, * in duas dividi Partes, minimè in tres, ab Antiquioribus consueverat, Isocrate Auctore in *Panegyrico* paullò ante finem: sed ævo Platonis tripliciter jam dispescitus. Utcunque autem sit, vastissimum spatium illud jugi μιᾶς ἡμέρας, καὶ νυκτὸς, *unius diei*, *ac noctis* illuvione haustum omnino evanuit. Plato enim à Solone videtur hoc didicisse, Solon, si Eudoxo fidem habemus, ab Ægyptiis Sacerdotibus, quorum sapientia intemeratior jam olim. Nihilominus Tertullianus nutat Lib. *De Pallio* Cap. II. *Cùm inter Insulas*, ait, *nulla jam Delos, harenæ Samos, &* (*si ille*, Plato, *non mendax*) *Aeon in Atlantico, Libyam* †, *& Asiam adæquans, quæritur nunc.* Pro illo tamen lectionis monstro *Aeon*, quidvis præferendum, sive, *cum*, sive, *etiam*, quod jam * alii viderunt.

* Ethicus latè persequitur in Procemio suę *Cosmographia.*

† Sic scribendum, non, *aut Asiam* (ut typis vulgati exhibent) vel ipso Afro attestante, qui in Apologetico non *adæquare* jam, sed *majorem Asiâ, & Africâ* refert, Platonem exprimens.

* Claudius Salmasius in primis.

Verum enimverò ut vacillare jam desinat Tertullianus, ampliùs scrutari non piget Platonis verba. *Ore* Maris Gaditani, & *quasi vestibulo ejus Insulam* illam statuit, Νῆσον γὰρ πρὸ τοῦ στόματος εἶχεν. ac subdit: Ἐξ ἧς ἐπίβατον ἐπὶ τὰς ἄλλας νήσους τοῖς τότ' ἐγίνετο πορευομένοις. ἐκ δὲ τῶν νήσων ἐπὶ τὴν

καταντικρὺ

καταντικρὺ πᾶσαν ἤπειρον τὴν περὶ τὸν ἀληθινὸν ἐκεῖνον πόντον. Hui, & magnum hoc etiam, & mirum sanè! *Per quam ad alias*, inquit, *proximas Insulas patebat aditus; atque ex Insulis ad omnem Continentem, è regione jacentem, vero Mari vicinam*. Ulteriorem adeò amplam valdè Continentem prisci illi homines cognovêre? Nostræ autem Continenti proximam fuisse magnam illam Insulam, non jam ambigere est. *Ex illâ* item *patere aditum ad alias Insulas*, subjungit; eásque subindicat, quæ nunc etiam præjacent illi remotiori Continenti, Peruano, inquam, tractui amplissimo, vel ampliori Mexicano, scilicet *Cuba, Hispaniola, Jamaica, S. Ioannis, Margarita*, & aliæ nonnullæ. *Ex istis* verò *Insulis transiri in Continentem alteram*, Plato denique hîc subjicit. Unde fortsitàn jam conligere haut temerè poterimus, Veteres illos Viros Magnos nequaquam prorsus nescivisse quartam eam Telluris Partem, quam Novum Orbem hodie nuncupant: Illísque ita concinnatis, vel animalia, vel homines ipsos, in illa Loca, sic longè dissita, post Cataclysmum advenisse. Quod aliter, factu difficillimum, sat negotii conflavit jampridem Sapientissimis Hominibus. Finitima enim Atlantis illa Africæ, & Europæ, pervium aditum

præbuit: poſtquam verò ſubmerſa eſt, ac divulſum commercium, homines, & animalia inlata viſebantur; tranſitus neutiquam omnino. Id inſuper & Platonem admodùm etiam tuetur, verúmque eum ſcripſiſſe; ut in *De Pallio* fidat ei Tertullianus, velut In *Apologetico* ſiſus eſt. Perperàm autem ejus Interpretes, & nonnulli quoque Geographi novitii, Atlantidem cum Americâ confundunt, Novo ſcilicet Orbe; cùm nec ſita ad Freti fauces, nec hauſta adhuc ſit. Potiùs redditum, repenſúmque plurimum ſpatii Americæ ejuſdem, quod ſubinde è Mari emerſerit, pro illo Atlantidis, quod devorarit Oceanus Occiduus, jam dudum eſt, quod auguratus ſum. Id enim magis erit conſonum utriuſque vicibus Elementi, quas, ex dictis anteriùs utique liquet, ſatis patere.

Ceterùm hîc jam non tempero mihi, quin temporiùs argumentum hoc denique ad lancem exigam. Haut ſecus certè ac Varietate rerum, operationum itidem Varietate pulcerrima Natura prædicatur. Quodnam igitur iſto opus Naturæ majus, quo tantum nempè, & rerum etiam, perſæpe variari, jam vidimus? En quòd Terrarum Orbes, Novus ſcilicet, & Antiquus; ſpatia, inquam, eiſdem paria, non plaga,

aut

aut regio pusilla, alternantur, transmutanturq; Ampliùs nos prolixâ totâ Dissertatione probatum non ivimus. Immò potiùs multò minùs. Terram nanque primam subisse Alluvionis aquam, nobis non invideant: Diversam alibi Terram proferri deinde, studio duntaxat nostro relictum est. Saltem id jam largiantur nobis nomine Naturæ, si tot nominibus aliis, quæ præcessêre, Meriti, & Juris, adhuc oppugnant. Variat ergo Natura haut semel, Opere isto crebriùs jam repetito: Sive certius sit, quod apud Aristotelem memini me legisse, Mare nimirum sedes certis temporum intervallis necessariò mutare: Sive, quòd * Seneca Philosophus opinatur, Ejusmodi Inundationes, & Ariditates, Hiemes Summas esse, & Æstates Mundi; fierique etiam in Capricorno, & in Cancro, cum plura Sidera, quæ diversos agunt cursus, nonnunquam in signa illa convenerint; altera eorum scilicet ejusdem naturæ & ingenii in alterutrum. Censorinus tetigit etiam de Anno loquens Maximo Aristotelis Cap. XVIII. De Die Natali: *Cujus Anni Hiems Summa est* κατακλυσμὸς, *quam Nostri Diluvionem vocant: Æstas autem* ἐκπύρωσις, &c. Lib. I. *Meteor.* præiverat ei Aristoteles, id ipsum adumbrans. Inde

* Lib. Quæst. 2. Cap. 29.

igitur orta plura Diluvia sunt, quæ memorantur, hoc est, Hiemes plures, & Plato Ea designat, & evincunt Ea quoque manifestò iterationes, quas protulimus, tot vicissitudinum ingentium utriusq; Elementi. quibus, docente etiam Strabone Lib. XVII, Τῆς γῆς πολλὴν εἰς ὕδωρ μεταβάλλειν, καὶ τῶν ὑδάτων πολλὰ χερσοῦσθαι τὸν αὐτὸν τρόπον. *Terræ multum in Aquam convertitur, & Aquæ vicissim multum in Terram transmutatur.*

NE tandem moles vasta Terræ Continentis ineptè æstimanti obstet fortassis quid, quominus alibi quiret Alia ex aquis vel obiter prodire, perinde nempe atq; insula parva, monitum eum velim, Non aliter indigitari universam Tellurem, non aliter haberi à Philosophis maximis. *Insula* planè est Terrarum Orbis (nec magna quidem Insula) circumit eum Pelagus. Sic Mela noster: *Hujus* [Mundi] *medio Terra sublimis cingitur undique Mari.* Sed anteriùs Homerus dixit, licet non verè asseverarit Hipparchus, Ἀρχηγέτην εἶναι τῆς γεωγραφικῆς ἐμπειρίας Ὅμηρον; *Primum Geographicæ peritiæ Auctorem esse Homerum.* Sed eleganter ad Pomponii mentem quisquis ille sit Orpheus:

Κύκλον ἀκαμάτου καλλιρρόου Ὠκεανοῖο,
Ὃς γαῖαν δίνῃσι περὶξ ἔχει ἀμφιελίξας.

Inde-

Indefessi orbem Oceani, pulcréque fluentis,

Verticibus Terram qui circumplectitur almam.

Disertiùs tamen Strabo, quem audire libet Lib. 1. sub principium: ὅτι δὲ ἡ οἰκουμένη νῆσός ἐστι, πρῶτον μὲν ἐκ τῆς αἰσθήσεως καὶ τῆς πείρας λεπτέον. πανταχῇ γὰρ ὅπη ποτ' οὖν ἐφικτὸν γέγονεν ἀνθρώποις ἐπὶ τὰ ἔσχατα τῆς γῆς προελθεῖν, εὑρίσκεται θάλαττα, ἣν δὴ καλοῦμεν Ὠκεανόν. Καὶ ὅπου δὴ αἰσθήσει λαβεῖν οὐχ ὑπῆρξεν, ὁ λόγος δείκνυσι. *Ceterùm Terram omnem, quæ habitatur, esse Insulam, primùm quidem sensu, & experientiâ docemur. Vbicunque enim unquam concessum fuit hominibus ad fines usque Terræ progredi, Mare inventum est, quod Oceanum nominamus; & ubi sensu hoc deprehendere non licuit, ratio idem demonstrat.* Ast urges me meis ipsis, &, Insula, inquis, est; sed infinita propè, ut de Atlantide dictum. Occurrit verò Cicero, ac de totâ ipsâ Terrâ cum Atlantide, si adesset, ex vero pronunciat: * *OMNIS enim Terra, quæ colitur vobis, angusta verticibus, lateribus latior, PARVA quædam INSULA est, circumfusa illo Mari, quod Atlanticum, quod Magnum, quem Oceanum appellatis.* Atenim *Parvæ Insulæ* ingens spatium est, *Pila* dicitur Senecæ: † *Ceterùm in tantum nihil attollitur, ut collatione totius nulla sit vel maximis portio: quod nisi esset, non diceremus, Totum Orbem Terrarum PILAM*

* In Somn. Scipion.

† Lib. 4. Quæst. cap. 11.

esse. Et ingens adhuc *Pila*, si *Punctum* reputatur, quod *magnitudinem nullam habet*, ut finit Cicero. Subjicit Seneca ibidem: *At quisquis Mundum mensurâ suâ æstimaverit, & Terram cogitaverit tenere Puncti locum*, &c. * Plinius: *Hæ tot portiones Terræ, immò verò, ut plures tradidêre, Mundi Punctus. neque enim est aliud Terra in Universo*. Addo Macrobium, qui oportunè ad rem. † *De Cælo tamen despicientibus non potest magnum videri, cùm ad Cælum Terra signum sit, & Punctum, quod dividi non possit in partes*. Nihil ergo jam intererit prorsus inter Orbem Insulam, & minimam Insulam Orbis, *quia inter pusilla parum esse potest discriminis*, ut altera procliviùs alterâ in profundum eat; expeditiúsve isthæc sit illâ foras surrectura ex profundo. Et quemadmodum *Ubi ad conlationem immensi corporis ventum est, nihil interest quanto alterum altero sit maius; quia etiam si magno discrimine, tamen minima dicuntur*, ut ratiocinatio est ejusdem * Senecæ, Terrena corpora pariter cum Cælo conferentis: Ita enim respectu ad Universum nullo discrimine tota Terra, ac pusillus ejus tractus, different inter se, ut secundùm rerum Naturam, quæ & Universum etiam complectitur, alterum corpus altero ægriùs emergat ex Mari, faciliúsve;

* Lib. 2. cap. 68.

† Lib. 1. in Somn. Scipion. cap. 9.

* ibidem.

faciliúsve; ut quotidie accidere minoribus Telluris portionibus, supra memoratum est.

Aptè igitur jam tot Rationes, tot Argumenta, dum amicè cum nobis conspirant, mollire forsitàn poterunt, mitigaréq; renitentium, si & fors in illos inciderint, pervicaciam: Ast modò saltem insinuare sese sensim, ac leniter curent; clanculùm tandem, indubium est, conficient negotium.

ALTERUM ad extremum ex duobus, quod restat, Documentum, illa proferet videlicet, quibus eludentur, frangentúrque cavillationes, quæ adversus me asperiùs dici poterunt ab adversariis. Quòd & legitimè dicantur, nec ego diffiteor, asperiùs licet magis, & asperiùs sæpiusculè iterentur: Nihilominus elevanda invidia est. Et quanquàm eam alicubi, nonnullâ ingenii pusilli argutiâ, mihi ipsi paraverim; opitulaturos tamen Viros Doctissimos, non diffidimus. Mussare nonneminem sentio jam dudum auribus: Post longam adeò sæculorum periodum, altè à Noachi usque Diluvio repetitam, præ ceteris tibi destinatum unicè constitit, propalàm arcanum hoc patefacere, ac docere nos? Quod chiliades annorum quatuor latuit tot Eximiis Hominibus; Philosophis Principibus

Hæresium,

Hæresium, & Scholarum; Doctoribus Gentium, fulgentibus Ecclesiæ Luminibus; tibi duntaxat servari, ac patere demùm, sequius videtur conjicere. Iniquè enim actum foret cum illis, qui in interpretandis Voluminibus Sacris sedulò desudarunt, si cæcutire prorsùm desiti sunt: prurigini verò syllabaturientis Mysterium patefieret, hominis alioquin ferè in Sacris Litteris profani.

Atenim primum est, cui ego repugno, Unum me solum animo Id complexum fuisse. Omnibus nanque persuasum esse velim, Patres nonnullos olim penitus non fugisse; potius subindicasse non semel, etsi adhuc à nemine Eruditorum in illis sit animadversum. Deinde, cum objectaculum hoc planè, inquam, fastidium sit animi superbientis, & arrogantis; Aut desipientis prorsus, & ineptientis, ictum ejus, præ me equidem fero, mihi parum esse nociturum. Levi itaque motu illum vitabimus, & amovebimus. Stultitiæ sanè adversabitur despectus. quisnam ejus rationem habeat, cui nulla ratio inest? Porrò autem fastosis illis ingenuam opponere moderationem, ac nostrum ingenium longè modestissimum, clypeus est conspicuus fulgore, quo superborum insolentium aciem conabor

conabor perſtringere. Ego meæ mihi parvitatis conſcius ſatis ſum, & eruditionis ſuppellectilis anguſtæ: hocce tamen fundo ſolers Molitio noſtra potiſſimùm ſubnititur; noſtræque dexteritas, quam aucupamur, Machinationis: vade ſe præbente, obſidéque Divino Teſtimonio, quod nunquam impoſuit. Immò hinc lætabundus DOMINUS gratias petiit, quas ageret PATRI, nimirum, Quòd magnificiſſet ſemper imbecillos, & parvos, ſeſéque illis pateſeciſſet; magnos contrà, & ſublimes, longè arceret à ſe, ac poſthabere conſueviſſet. Verba ejus ſunt apud Matthæum cap. XI. comm. XXV. Ἐξομολογοῦμαί σοι, πάτερ, κύριε τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς, ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν, καὶ ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις. * *Confiteor tibi, Pater, Domine Cæli, & Terræ, Quia abſcondiſti hæc* [Maxima ejuſmodi Sacra Myſteria, & abſtruſiora] *à Sapientibus, & Intelligentibus, & revelaſti ea Parvulis.* Quod repetit & D. Lucas Cap. x. comm. XXI.

* *Confiteri*, laudare hîc eſt, & gratias agere. qui & Hebraiſmus frequens in Sacris Bibliis.

Ceterùm, ſi poſtquam NUMEN favit, nóſque tutatus eſt, quidvis præſidii aliud planè non ſuperflueret, ſubderem ego, Nequaquàm herculè poſt quadraginta ſæcula illa, quæ anteriùs præceſsêre; *Immò poſt Mille ſæcula* (vox eſt animæ illuſtris Ethnicorum, Lucii, inquam, Se-

necæ) *nec ulli nato præcluditur occasio aliquid adhuc in Scientiis adjiciendi.* Sed Eundemmet producere, nihilominus animus est, * alibi Differentem luculentiùs; ut colophone tamen hîc tempestivo nostram denique jam claudat Dissertationem. Multa igitur præterea, cognata Numini summo, Naturæq; rerum, latere adhuc subobscura, dum satagit adstruere; unà palàm facit, Quòd nondum integrum Opus suum impleverit Sapientia. *Quando ergo illa*, quæ restant adhuc, *in notitiam nostram perducentur?* Nunquam enim reddet ille † homuncio ampullatus, Thrasóve. *Nam tardè magna proveniunt, utique si labor cessat*, subjiciam ego. Ast audire, satius est, ipsum Hesperium Sophon, tuentem sic nedum Philosophum Hesperium: *Quid sit hoc, sine quo nil est, scire non possumus: Et miramur, si quos igniculos parum novimus Stellarum, cùm maxima pars Mundi lateat* Devs? *Quàm multa animalia hoc primùm cognovimus sæculo? & quidem multa venientis ævi populus, ignota nobis, sciet. Multa sæculis tunc futuris, cùm memoria nostri exoleverit, reservantur. Pusilla res Mundus est, nisi in illo quod quærat omnis Mundus habeat. Non semel quædam Sacra traduntur: Eleusis servat, quod ostendat revisentibus.* rervm natvra sacra

* Extremo Opere *Natural. Quæst.*

† *Vt corpora non robore, sed valetudine inflantur.* argutè Quintilian.

SUA NON SIMUL TRADIT. *Initiatos nos credimus: in vestibulo ejus hæremus. Illa arcana non promiscuè, nec omnibus patent; reducta & in interiore Sacrario clausa sunt. Ex quibus hæc Ætas Aliud, Aliud, quæ post nos subibit, adspiciet Ætas.* Quapropter nunquam senescere PHILOSOPHIAM, docuit etiam Boëtius; ac exprimit Eam, licet plenam ævi, colore tamen vivido efflorescentem, atque inexhausto vigore.

FINIS.

QVIDQVID A ME HÎC DICTVM EST, VEL ALICVBI ALIAS, ET SVBINDE DICETVR VBICVNQVE, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CATHOLICÆ IVDICIO, ET THEOLOGORVM ORTHODOXÆ CENSVRÆ TOTO EX CORDE SVBJICIO EQVIDEM, ATQVE SVBMITTO. ET QVOD EI MINVS PROBETVR, INDICTVM VOLO, ABOLITVM, ET PRORSVS OBLITVRATVM; ITAQVE MIHI TESTATVM HÎC RELINQVI IN ÆTERNVM.

NERO CLAUDIUS CÆSAR IMP.

Ad Iudices, poſtquam canere deſiiſſet.

Omnia qvæ facienda, eqvidem feci; sed eventvs est in manv fortvnæ.

LECTORI.

DUM multiplex Opus noſtrum Geographicum propè jam calcem pertingit, quod & diverſas haut paucas, & quæ præter rem non ſunt, complectitur Diſſertatiunculas; ecce viſum nobis eſt, ab integro Corpore illo hoc * Ἀποσπασμάτιον, quod DISSERTATIO MIRA etiam cluit, foràs prævium emittere. Novitium adeò, & ultra mentem adhuc hominum, ipſum Inventum, quod in noſtram, & fòrs non temerè prorſus, venit in mentem; Senatui Eruditiorum noluimus, nec indecenti feſtinatione, diutiùs latere: maximè cùm denuò irretiri me quotidie

* *Particulam avulſam.* Cic.

die obſtaculis, animadverterem; & variis inſuper ſat pluſculis animi diſtineri ægritudinibus, quominùs magno Operi temporiùs ultimam tandem manum quirem imponere. Præterquàm quòd, & hocce potiſsimum eſt, Argumenti decus videbatur etiam poſtulare, neutiquam nunc primùm cum aliis confundi; immò potiùs alicubi illud debere copiam ſui facere, à ceteris nimirum omnibus diſpeſcitum, atque ſejunctum. Ita igitur libens & ego præſtiti. Dum autem illam præſtare poſſumus Antiquæ Geographiæ luculentam Inluſtrationem, en Ejus ſcilicet, quæ parata propemodùm jam eſt, Ideam ac Seriem.

IDEA

IDEA, ac SERIES
integri Operis.

EPITOMA
GEOGRAPHICA, & HISTORICA
ORBIS ANTIQUI.

SIVE,

POMPONII MELÆ,
HISPANI,
DE SITU ORBIS

LIBRI III.

Recentata Editio,

Quæ genuinum ei propè nitorem reddit.

Ex Musæo, &c.

INTEGRUM OPUS EST IN TRES
PARTES TRIBUTUM.

EPI-

EPITOMÆ
GEOGRAPHICÆ, & HISTORICÆ
PARS I.

Vbi continentur

DISSERTATIONES PRÆVIÆ

Ad Epitomam Geographico-Hiſtoricam.

MATERIA, & ORIGO GEOGRAPHIÆ, ac exinde PRÆSTANTIA. TERRA Duplex aſſeritur, Prima Cataclyſmo obruta, Altera poſt Cataclyſmum diverſa.

DISSERTATIO I.

GEOGRAPHIÆ ANTIQUÆ

Progreſſus, atq; Animadverſiones.

DISSERTATIO II.

POMPONII MELÆ PATRIA,

ævum: OPERIS Genius, Fatum.

DISSERTATIO III.

ITEM,

POMPONII MELÆ,

HISPANI,

DE SITU ORBIS

LIBRI III.

P Seriò

Seriò admodùm castigati, & infinitis locis ex ingeniosâ observatione restituti. Additis insuper Adloquiis, quæ singulis Capitibus præcedunt, & brevibus NOTIS.

EPITOMÆ
GEOGRAPHICÆ, & HISTORICÆ
PARS II.
Quæ complectitur
IN POMPONII MELÆ, HISPANI,
DE SITU ORBIS
LIBROS III.
CRITICAS DISQUISITIONES
HISTORICO-GEOGRAPHICAS.

EPI-

EPITOMÆ
GEOGRAPHICÆ, & HISTORICÆ
PARS III.

Vbi exhibetur

NOMENCLATOR GEOGRAPHICUS NOVANTIQUUS.

Suggerens, cum brevi enarratione, omnia Locorum Vocabula, quæ in POMPONII MELAE *tribus Libris de* SITU ORBIS, *memorantur.*

P 2 SYL-

SYLLABVS
SCRIPTORUM VETERUM,
ALIORUMQUE MONUMENTORUM,
quorum memoria est in hac DISSERTATIONE.

Eudoxus

SYL-

SYLLABUS

Recentium Scriptorum.

FINIS.

AD

DISSERTATIONEM
DE DUPLICI VIVENTIUM TERRA
MANTISSA.

VBI

EXORDIUM CAPITIS GENESEOS II.

ET

OBITER TOTUM CAPUT I.
cum novâ animadversione expenduntur:

Vnáque

DE VNIVERSA DISSECANDI ANTIQVA SCRIPTA RATIONE LVCVLENTER DISSERITVR.

AD EMINENTISSIMVM

IOANNEM S. R. E.

CARDINALEM DE LVGO.

— Velut undâ truditur unda,
Sic varia exagitant tumidas
molimina mentes.

EMINENTISSIMO IOANNI CARDINALI DE LUGO, FRATRI SUO MATRUELI,

Don Josephvs Antonivs Perpetvam in CHRISTO JESU felicitatem.

DVM Capitum Exordiis Codicis Sacri, *Cardinalis Eminentissime*, nonnunquam mihi cespitare contingit, quòd perperàm viderentur cum sequentibus cohærere; Conjicere occœpi, Eumpse (quæ omnibus antecessit Princeps Scriptura) continenti texturâ Librorum, sine ullo Sectionum discrimine, prorsus ab Auctoribus suis primùm fuisse descriptum: Itaq; haut dubiò ceteris cunctarum Gentium deinceps præ-

buisse specimen, quod non aliter expresserint illæ suarum etiam scriptionum primordiis. Quapropter equidem & subinde cogitabam, Interpretem Bibliorum Sacrorum Theologi duntaxat partes agere non oportere; quin potiùs & Critici etiam, modò jam verè Catholicus sit, & multi jugâ insuper eruditione conditus. Nostrûm enim non est, qui adeò profani sumus, & reverenter Characteres illos summisso capite veneramur, eorundem vel iota, vel apicem unum, illotis, ut aiunt, manibus contingere. Alicubi autem inconcinnam monere tantùm sententię interruptionem, ob Capitis nempe sectionem importunam; quam, & si non illotæ, externæ tamen manus præstitêre, litterati, mihi visum est, cujuslibet non excedere munus: præsertim si ad illos deferat

ferat Conjecturam, penes quos, in editâ Arce Civitatis Hierusalem constitutos, Præjudicium Veritatis est, atque statumen. Propterea ergo, *Præclare Vir, Doctrinâ juxtà ac Dignitate Eminentissime*, ecce ad Te mitto Exemplum ejuscemodi Suspicionis meæ, ac subinde Disquisitionis; quo & anterius aliud esse nequiverit. Capitis nanq; secundi est totius Pentateuchi: & Orthodoxæ Beatissimi Collegii vestri censioni submitto. Auribus vacivis animum adverte, *Inclyte Vir*: en à rivulis auspicor consuetudinis antiquæ, qui me tamen deducant, & dirigant ad primævam illam SCRIPTURÆ perennem, emaculatámque scaturiginem.

Sectio I.

Ingressus ad Disputationem, An Scriptores veteres fuerint edocti, Contextum suorum operum Sectionibus distinguere? Planum fit, Aristotelem id nescivisse, qui à Copiâ commendatur, & à Præstantiâ Scriptorum. Idem de Poëtis Epicis adstruitur, & in primis de Homero. An ipse Poëmata reliquerit litteris descripta? Cani per partes solita; Item in Theatris recitari ab Actoribus Tragicis. Discerpta in ejusmodi fragmenta, ac Titulis designata, olim duntaxat vetustiores habuisse videntur. Coaluerunt deinde in Iliadem, & Odysseam: ac tandem in Libros discrevêre. Quod studium Grammaticorum habitum, sed Criticorum. Herodotus etiam continenter Historiam contexuit. etiam Thucydides. Post aliquot secula Scriptores Divisionem Librorum adhibuerunt, non tamen exiguas magis subdivisiones.

SCRIPTA quæcunque dispescete, ac dividere, quibuslibet Sectionibus (multiplices enim reperiuntur Hebraicis Libris, Græcis, & Latinis) recentius studium est, quàm in mentem Antiquiorum incidetit. Longum, id palàm facere, quot paradigmatis possemus: uno tamen profanorum, aut altero, tempestivum. Quousque, nec aliter Voluminibus

nibus Sacris primitùs accidiſſe, conſtet manifeſtò: immò exinde, qui omnes inferiores ætate Scriptores ſunt, poſteà edidicerint.

In primis autem primus, & meritò, prodat Ariſtoteles: & Ubertate Scriptorum, & Præſtantiâ Princeps Græcorum eſt. Copia ſatis ab illis adſtruitur, qui recenſere jam pridem conantur. Tres inluſtres Viri memorantur, quibus curæ jam olim illud fuit: Hermippus ſcilicet Callimachius, Smyrnæus; Andronicus Rhodius, cognomine Peripateticus; & Adraſtus Aphrodiſeus: ſed periêre labores eorum. Exſtat Laërtius, pauciſſimi tamen illorum, qui ab eo Libri deſignantur: nam ejus nomine qui plurimi hodie circumferuntur, diverſi prorſus ſunt. Etiam & præter hos omnes, laudatos item multos Libros ejus ſparſim invenimus antiquis Auctoribus; ex quibus confici non inferior poſſet Catalogus tertius. Porrò de iis omnibus, quod & ad Præſtantiam ſpectat, (unde & ἐγκύκλιος παιδεία luculenta conflatur Criticis veteribus) ſemper illam exiſtimationem habuerunt Majores, ut ab Ammonio, acerrimi Philoſopho ingenii, exceſſiſſe diſertim illi dicantur τὰ ἀνθρώπινα μέτρα, *humanos terminos.*

Ipſum tamen ullâ Diviſione non inſignivisſe non-

nonnullum ex tot ſuis Operibus eximiis, jam dudum eſt, quod obſervarint alii, & alibi etiam nos jam olim. Apertè quoque liquet ex ipsâ Diviſionum varietate, quam Interpretes Ejus ſeniores, ſi conferantur, ſuggerent. Qui nobis ſubinde ſæpe lapis Lydius adhibetur ad diſcernendas ab nothis diſtinctiones genuinas. Conſulendi ergo Andronicus Rhodius, Alexandet Aphrodiſeus, Syrianus, Ammonius, Olympiodorus, Simplicius, Philoponus, Euſtathius, Michaël Epheſius, Pſellus, & ante hos omnes Aſpaſius, ac plures, quos prætermittimus: neminem quidem offendere ſit, qui cum alio Sectionibus, quas comminiſci lubuit, conſentiat. Diogenes Laërtius (obvium cuilibet ob oculos exemplum) unum *De Anima* Librum Ejus commemorat: & hodie tres *De Animâ* Libri Ariſtotelis numerantur in Operibus illis, quæ nobis temporum injuriæ non inviderunt: licet, teſte Porphyrio, in Vitâ Plotini, Andronicus Peripateticus, qui & Rhodius cognominatur, τὰ Ἀριστοτέλους εἰς πραγματείας διεῖλε, *Ariſtotelis Opera in Tractatus diſtribuit.*

Ceterùm plures diverſos Scriptores, pariſſimam ſortem perpeſſos, mirari jam deſinimus, poſtquam licuit animadvertere, Et Poëtas Epicos

eos nonnunquam Poëmata sua reliquisse nullâ itidem dissecta Librorum interruptione. Quod de Homero satis sit ostendere, Vatum Principe haut secus, atque Scriptorum omnium Aristóteles, qui ideò & πολυμαθῶν audiit κορυφαῖος. Memoriæ Josephus prodidit Lib. I. contra Appionem, οὐδὲ τοῦτον [Homerum] ἐν γράμμασι τὴν αὐτοῦ ποίησιν καταλιπεῖν, ἀλλὰ διαμνημονευομένην ἐκ τῶν ᾀσμάτων ὕστερον συντεθῆναι, καὶ διὰ τοῦτο πολλὰς ἐν αὐτῇ σχεῖν τὰς διαφωνίας, *Neutiquam Homerum litteris suum Poëma reliquisse descriptum, sed cantibus memoriâ reservatum, postea fuisse compositum; & propterea multam in eo comperiri dissonantiam.* Hoc tamen ego minimè credam, verum esse; nec credidit vel Josephus ipse dum φασὶν cautè addidit. Cani verò, quod effert, consuevisse Partes diversas suorum Poëmatum, docet etiam Ælianus Lib. XIII. Var. Histor. Cap. XIV. Ὅτι τὰ Ὁμήρου ἔπη πρότερον διῃρημένα ᾖδον οἱ παλαιοί. *Veteres Homeri carmina, in certas Partes distributa, cecinerunt.* Veluti in Theatris recitarunt quoque crebriter histriones cum gregibus suis, ut nostra observatio est ad Aristotelis Poëticam; instar, inquam, dramaticarum actionum. quod ut fulciret Eustathius, ibidem fecimus; nunc adhuc suffulcimus amplius insigni loco Achillis Tatii ex Libr. III.

καὶ γάρ τις ἐν αὐτοῖς ἦν τῶν τὰ τοῦ Ὁμήρου τῷ στόματι δεικνυόντων ἐν τοῖς θεάτροις. τὴν Ὁμηρικὴν σκευὴν ὁπλισάμενός τε αὐτὸς, καὶ τοὺς ἀμφ' αὐτὸν οὕτω σκευάσας, &c. *Eâ porrò navi unus quidam ex iis, qui Homeri Poëmata in Theatris recitant, vehebatur. Is cùm se, tum eos, quos secum ducebat, eo habitu, quo in edendis Homeri Poëmatis uti consueverat, adornans*, &c. Immò (& hoc in animo est, transire perfunctoriè, haut oportere) Partes illæ videlicet erant, in quas eadem Homeri Poëmata solita tumprimùm discerpi, distinguíque. Continuâ nanque serie texturam produci, ac solido tenore, ut nec alicubi quiescere lectorem liceret; actionemque intermitti, aut cantilenam, nequit herclè cogitare, nisi qui Chrysippi indigeat helleboro. *Nominabant igitur ab argumento Partes illas diversas* (subdit ibidem Ælianus, postquam in eas, qui & *Tituli* quoque dicebantur, distribui Ejus Poëmata, præmiserat) ut τὴν ἐπὶ ναυσὶ μάχην, καὶ Δολωνίαν τινὰ, καὶ ἀριστείαν Ἀγαμέμνονος, καὶ νεῶν κατάλογον, καὶ λύτρα, καὶ ἐπὶ Πατρόκλῳ ἆθλα. *Ut Pugnam juxta naves, Dolonis mentionem, Strenuitatem Agamemnonis: item Navium catalogum, & Redemptionis mercedem, & Certamina in honorem Patrocli instituta*, & plures sic, quas subinde recenset. Atenim, sat posteriùs, videtur Lycurgus, illa seg-

menta

menta Primus exſcripſiſſe, & conſarcinaſſe. Plutarchus teſtatur in Lycurgo. ac demùm ſubjicit: Ἦν γάρ τις ἤδη δόξα τῶν ἐπῶν ἀμαυρὰ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν. ἐκέκτηντο δὲ οὐ πολλοὶ μέρη τινὰ σποράδην τῆς ποιήσεως ὡς ἔτυχε διαφερομένης. *Nam obſcurum quoddam apud Græcos Homeri Poëſis nomen tum erat, & rari Fragmenta habebant, quæ ſparſim, & inconditè circumferebantur.* Quod & Ælianus refert loco laudato. & claudit denique iſtis verbis: Ὕστερον δὲ Πεισίστρατος συναγαγὼν ἀπέφηνε τὴν Ἰλιάδα, καὶ Ὀδύσσειαν. *Poſtmodùm verò Piſiſtratus, collectis in unum omnibus, Iliadem, & Odyſſeam confecit.* Nec aliter hoc Cicero Lib. III. de Oratore: *Qui Piſiſtratus Primus Homeri Libros, confuſos anteà, ſic diſpoſuiſſe dicitur, ut nunc habemus.* Ampliùs ergo quid Piſiſtratus fecit, quàm Lycurgus: quocirca verè Primus dicitur etiam Ciceroni iſte, atque ille Plutarcho. Et ampliùs adhuc quid, Grammaticus ſcilicet, de quo Plutarchus ipſe, verè tradere potuerit Lib. I. de Homero: *Iliadem, & Odyſſeam Homeri, Primò in numerum Librorum diviſas, ad ordinem reddidit; & numerum Græcarum Litterarum Ariſtarchus Grammaticus.* Quod & Euſtathius retulit in I. Iliados. *Vnde*, ſubiicit, *non ſolùm primus Liber tam Odyſſeæ, quàm Iliadis, α vocatur, ſecundus, β, & ſic deinceps: verùm etiam ipſum*

R 2 Opus

Opus γεάμμαζα *nominatur*. Et inde insuper haurimus, Eam operam, ac studium, speciatim ac propritim pertinuisse ad Grammaticos eruditos. Sic innuit & Ausonius de Harmonio forsàn Grammatico loquens, non de Ursulo etiam Grammatico, Epistol. II.

Quem sibi conferret Varro, priórque Crates:
Quique sacri lacerum collegit corpus Homeri;
Quique notas spuriis versibus apposuit.

Illi autem *Grammatici* intelligendi sunt, qui *Critici* cognominantur Servio VIII. Æneid. De quibus & plurima memoria est apud Sextum Empiricum, & Quintilianum.

Itaque nec mirum jam erit, Herodotum Historiam continenter pariter condidisse, cùm traditur fuisse Aristotele anterior circiter C. annos. Musarum nanq; Divisionem, quam præ se fert ejus Opus egregium, non ab Auctore, sed ab aliis accepisse volunt: nimirum quòd eam summoperè admirarentur. Sic colligere ex Luciano est Lib. *De Scribendâ Historiâ* Nec secus Thucydidem, supparem Herodoto, puto, Bellum Peloponnesiorum cum Atheniensibus contexuisse, sine ullâ nempe Librorum discretione; varietate ipsâ ductus, qua capse Historia etiam distinguitur. Octo Librorum interruptione

ruptione conſpicimus, nunc vulgò diſſecari: teſte tamen Marcellino, Hiſtorico quodam Græco, in Thucydidis vitâ, olim ab nonnullis in Libr. XIII. & ab aliis deinceps variò diſtribui ſolita erat.

Poſtea tamen, temporum, inquam, ſucceſſione, aliter factum, indubium eſt, cùm Operum ſuorum aptiori Oeconomiæ ſubvenire diſtinctionem partium, Viri Docti jam animadverterent. Hiſtoriæ igitur ſanè, aut cujuſque Argumenti Contextum, per Libros interrumpere, inchoarunt Scriptores: Capitibus verò, aut ſimilibus minutis Sectionibus ſubdividere, auſi primùm non ſunt, aut non in mentem venerat. Nonnulli item Auctores, ipſimet reverâ, *Muſarum* nominibus Opera ſua diſcrevêre, nonnulli *Pleiadum*, alii *Gratiarum*, & ejuſmodi inſcriptionibus alii decorarunt, quæ & numerum ſimul Sectionum deſignarent: non tamen quæ per minutas Capitulorum ſecturas diſcriminatentur. Iſtis equidem & accenſendos autumo non paucos ex pluribus illis, quorum meminerunt Athenæus, Photius, Stobæus, Suidas, Stephanus, Pollux, & id genus alii Scriptores, qui antiquiores innumeros ab oblivione vindicarunt; cùm eorum

rum Nomina proferentes, tum Fragmenta Operum. Ea autem per Libros discrevisse, & concinnasse, exinde planè conjicere est, quòd sæpenumerò Eos memorant: Minimè verò discriminasse per Capitulorum minutias, quæ nusquam suorum librorum notantur. Atenim illos, quibus postea cura fuit ferri critici admovendi Antiquiorum scriptis, ut texturam priscam Librorum irrumperent novellis sectionibus, haut infrequenter dormitasse, paullò post liquere facimus adhibitis exemplis. quibus & diutiùs immorari, neutiquam utique animus est.

SECTIO II.

Dum Auctores Historiæ Naturalis aptè distribuunt eam in Libros, ineptos Capitum metatores subinde perpessi sunt. Id in Theophrasto Eresio visum, & exemplo patefactum. Etiam in Plinio, qui praiverat, ipse designans loca, ubi Capitum limites forent terminandi. Nonnulli jam notarunt, & correxerunt nonnulla. De Pomponio Melâ nunc primùm idem observatum. Initio per summa rerum capita præmisit Operis Ideam; ubi cum illo Plinius componitur. Sedulò de numero Librorum Plinii inquiritur. Exempla exhibentur ineptæ digestionis, qua per Capita hodie distinguitur Mela.

SIMI-

SIMILEM faciem habuisse Historiam etiam Naturalem, docent Viri clarissimi. Indigere tamen illam magis, ego existimo, præ qualibet aliâ, Capitum distinctiunculis: ejus quippe multiplex rerum dissoluta varietas continuo orationis tenore nequit nimis gaudere. Ideò & distinxêre ociùs jam olim, licet ad illam Theophrasti περὶ φυτῶν, & περὶ αἰτιῶν ἱστορίας, *De Plantis*, & *De Caussis Plantarum*, eò usque Theodorus Gaza accessit nudius tertius, & trajecit in Latium, distinxítque; alium Capitum, aiunt, digestionem non aggressum: Tractatuum verò fecisse Andronicum Peripateticum, Auctor est Porphyrius in Vitâ Plotini. Verùm parùm commodè Gazam discerpsisse, observatio Claudii Salmasii est Prolegomenis in Solinum: & hocce ex multis effert exemplum. Lib. I. Cap. XI. Ubi de radicum succis differentibus agit, hæc clausula est: Διὸ καὶ ἐνίων πικραὶ, ὧν οἱ καρποὶ γλυκεῖς. *Quamobrem sunt, quæ radicem sortiantur amaram, quanquam fructus ipsæ prædulces pariant*. Itaque sequentis Capitis hoc exordium futurum: Αἱ δὲ καὶ φαρμακώδεις, ἔνιαι δ' εὐώδεις· ὥσπερ αἱ τῆς ἴρεως. *Sunt & medicatæ nonnullæ, odoratæ aliæ, ceu iridis*. Hæc igitur dissociare non decuit, quæ sic constant integra: Διὸ καὶ ἐνίων πικραὶ, ὧν οἱ καρποὶ.

καρποὶ γλυκεῖς· αἱ δὲ καὶ φαρμακώδεις· ἔνιαι εὐώδεις· ὥσπερ αἱ τῆς ἴρεως. *Quamobrem sunt, quæ radicem sortiantur amaram, quanquàm fructus ipsæ prædulces pariant. Sunt & medicatæ nonnullæ, odoratæ aliæ, ceu iridis.* Quæ sequuntur, planè aliò tendunt, quapropter hîc statuendum diversum Caput, aut illud quoque continuandum ulteriùs. Quod nemo jam dubitet, postquam ab illo monitum. Nec sat animadversum fuit Scaligero Patri, suis in eundem Theophrastum Animadversionibus, quanvis quid subolfecerit.

Pari modo ineptè eos accepisse Plinium, qui tot ejus Libros Naturalis Historiæ in Capita dissecuêre, notatum jam aliis. &, ineptè jam non efficerent, frustrà illam, qui distinxerunt, non suscepissent operam. Præiverat enim Plinius ipse, veluti digito indice designans Lib. I. ubi terminos Capitum deberent illi metari: adhibet quippe ibidem *Summarium*, aut cum Senecâ Filio *Breviarium*, voces, rerum scilicet, *quæ singulis contineantur Libris*, ut verba ejus sunt. Illi verò studiosi ut plurimùm, & inter se diversi, Summarii Titulos, quibus locis (temerè sæpè) visum est, accommodarunt. Ea propter cohærentia sensa ctebrò reliquisse intercisa, deducta, & hiantia, indicat etiam ipse Salmasius Exercitationi-

cationibus Plinianis. unde satis sit nobis unum exemplum producere. Caput vigesimum primum Libri quarti ita explicit: *Illo finitur Hispaniæ latus, & à circuitu ejus incipit frons*. Vigesimum secundum, quod sequitur, ita incipit: *Septentrio hinc, Oceanusque Gallicus, Occasus illinc, & Oceanus Atlanticus*. In Exemplaribus MSS. legitur: *frons Septentrionis. Hinc Oceanus*, &c. Locum ergo corrupisse non contenti, quod & cohærebat, diruperunt: & Caput novum commenti sunt, ubi nec interpunctionem sententia sustineret. Itaque locus sic reconcinnandus: *Illo finitur Hispaniæ latus, & à circuitu ejus incipit frons Septentrionis. Hinc Oceanus Gallicus, illinc & Oceanus Atlanticus*, &c. Et hunc in modum jam vulgavit Ioannes Laët emendatâ, ac nitidulâ editione Anni CIↃ IↃ CXXXV. apud Elsevirios. Ubi etiam sæpè Lector commonefit talium importunarum Sectionum, ut hoc labore possimus nos hîc supersedere.

Verumtamen locus etiam sit alicui haut indecenti exemplo observationis nostræ, petito scilicet ex EPITOMA GEOGRAPHICA, ut ubique MANTISSA cognationem habeat cum *opsonio*. Ibi nostrum Melam Pomponium revocamus (& evincimus, reor) ad ævum Augusti,

S ube-

uberius, ac emendatius Eruditorum. Ideò & Plinius ille prætulit eum ſibi Exemplar futurum, imitandum prorſus; aut potiùs prorſus ſuis lucubrationibus exprimendum, innumeris locis. Ipſummet ſæpenumerò laudat, licet ſæpius diſſimulet, uti ibidem nos etiam patefacimus. In Tres Libros diſſecuit vaſtum Opus ſuum Mela, miro tamen artificio, non multis conſtrictum foliis; minimè verò Capitibus, aut Sectionibus aliis diductos. Notum jam hoc vel mediocriter doctis. Et duarum ego editionum antiquarum domi habeo exemplaria ejuſdem Pomponii, quæ ex vetuſtiſſimis codicibus depromptæ, duntaxat Librorum diſtinctæ interruprione comparent. Initio autem Operis nudas ducit ille lineas quaſdam, quæ perſpicuè compendio deſignant plenam illam Univerſi Deſcriptionem, proferendam ſubinde: ac recenſet item ſummatim eas planè Regiones, quas poſteà exhibiturus eſt luculenter Particulari Loci cujuſque Delinearione, unà cum Hiſtoriâ contentarum illic rerum haut injucundâ. Apto quidem ſatis ordine Summaria iſthæc confecit, Tres Partes Orbis proſecutus, quæ Antiquis innotuêre. En ergo quod ipſiſſimum Plinius cupiens exprimere, primo Libro locupletiſſimi

pletiſſimi Operis, veluti ſummâ quadam, pariter omnia complexus eſt, quæ ſingulis tot Libris deinde continerentur. Illos autem met Hiſtorię Libros (quod obiter dicam) ad numerum parem, ac rotundum extenderat XXXVI. Poſtmodùm verò ac ipſe tandem excogitaverat Summarium id rerum præmittere, Indicis loco; volens utique Libri & ipſum vicem obire, ad numerum denique imparem illi pervenêre XXXVII. Eo quidem, quanquàm *Numero Deus impare gaudet*, nihilominus neſcio quid inconditi ſentiſcit Auditor. Attamen, quod potius ego exiſtimo, novitium eſt, Summarium in Librum abiiſſe, Primi numero notatum. Appendiculą indubiè, ac corollarium erat *Epiſtolæ*, aut *Præfationis*, ſi mavis ita vocare. Ipſe diſertim dicit, ut hariolari neceſſum non ſit: *Quia occupationibus tuis publico bono parcendum erat, quid ſingulis contineatur* LIBRIS, *huic Epiſtolæ ſubjunxi*. Epiſtolam vocat, non Librum, cùm *Libros* memorat, ac Summarium eorum ſubindicat. nec ullus unquam Librum appellavit Epiſtolam, præſertim Nuncupatoriam. Nec aliter ſentiendum de ipſo rerum Indiculo, quem, ait, Epiſtolæ ſubjungere, & annectere. Itaque unico Præfationis Titulo, ſive Epigra-

phe, utrunque comprehendi debere; & sic, eliminato numero, & Libri appellatione, exhibendum utrunque, ambigere non est.

Porrò quinam distinguendis hisce Pomponii Capitibus, quæ hodie suppetunt nobis, sedulos præstiterint se, ego prorsus ignoro, & mecum omnes, puto; non ramen mecum omnes, puto etiam, animadvertisse divisionis Capitum horumce κακοθημοσιύνην: si tamen animadverterunt, adhuc non indicarunt aliis. Mihi enim nequaquam latuit, illicò usque ac in mentem venit, Summaria Ejus conferre cum Capirum jam vulgatâ digestione. Ad lancem hanc omnino exigendam esse Capitum Pomponianorum distinctionem quamlibet, docemus in Ejus, quam paramus, & jam *in fine laborat*, Editione accuratâ. Unde, ut sint documento, animus est, duo hîc Exempla proferre ex Lib. I. prærerquàm quòd & nobis etiam conducent ad nostrum nunc præcipuum institutum. Ecce ut verbis concepra sunr illis *Proloquiis*, quæ Capitibus ipsis antecedunt.

AFRI-

Africæ Interioris Gentes Variæ.

Caput IX.

Proloqvium.

[Ex Africæ Summâ.]

At super ea, quæ Libyco Mari abluuntur, Libyes-Ægyptii *sunt*, &c.

Id est, introrsus, penitus. Ubi de Mediterraneis Gentibus incipit Mela agere. Hisce ex Africæ Summâ desumptis, isthæc, unde initium ducit hoc Caput ix, planè respondent: *Proximis nulla quidem Vrbes, stata tamen domicilia sunt, quæ Mapalia appellantur*, &c. Post pauca eâdem in Summâ subdit:

Deinde, *latè vacat Regio, perpetuo tractu inhabitabilis, &c.*

Hoc est, penitiùs. Et huc illa spectant Capitis hujusce: *Interiores etiam incultiùs: Sequuntur*

S 3

quuntur vagi pecora, &c. Et isthæc post pauca: *Ex his, qui ultrà deserta esse memorantur*, &c. Ac demùm subjicit in Summâ:

INTRA (*si credere libet*) *vix jam homines, magísque semiferi, &c.*

Id est, PENITISSIME. Ad quæ nempe & isthæc extrema hujusmet Capitis referenda sunt: *NVDI sunt Gamphasantes*, &c.

Itaque totius hîc Mediterreæ Regionis diversas per saturam Nationes recenset Geographus. Quapropter Eas à CYRENAICA non secrevisse, qui Melam aut pridem, aut recenter dissecuêre membratim, sat indicii præbuêre, parùm calluisse Operis hujus Oeconomiam. Attamen nos, contextum hîc, ut aliàs, dispescentes, fecimus, ut sibimet Pomponius constaret; nusquâmque exorbitaret à primis suis semitarum ductibus; aut prætergrederetur à lineamentis illis, quæ duxit in Summariis.

Exemplum hoc est dissecti denuò Capitis: Quod sequitur, obliteratam Sectionem exhibet Capitis antiqui.

SYRIA.

SYRIA.

CAPVT XII.

PROLOQVIVM.

[Ex ASIÆ Summâ.]

Ab eâ [ARABIA] *usque ad flexum illum* [NOSTRI MARIS] *quem supra retulimus*, SYRIA.

SYRIÆ, multiplicis Regionis, & late patentis, extrema confinia, eodem Melâ Auctore ab ARABIA, quæ præcessit, *Palæstina*, & *Phœnicia* sunt: ad CILICIAM, quæ subsequitur, *Antiochia*. En verba ex Capite isto XII. *Hinc Palæstina est, quà tangit ARABAS, cum Phœnice: & ubi se CILICIÆ committit, Antiochia.* Primariæ ipsius SYRIÆ & istæ Provinciæ perhibentur, scilicet *Palæstina*, *Phœnicia*, & *Antiochia*: licet aliæ hîc etiam memorentur subinde. Cur autem metatores Pomponiani *Palæstinam* posthabuerint, & *Antiochiam*; prætulerint verò, & discrimine Capitis insigniverint PHOENICIAM, adhuc non liquet. Ea propter illud delevimus nos, haut obliquè manuducente ipso Melâ, qui alicubi

alicubi SYRIAM universam, ut in Summâ visum est, diducere, & discernere, non cunctanter respuit.

Sed satis jam Exemplorum. uberrimâ nanq; eâ segete affluunt infeliciter profani Scriptores. Itaque progredimur ad Sacros, qui aversis sic forsàn avibus accepti olim sint à suis Criticis, & Interpretibus.

SECTIO III.

Transitus fit ad Sacros Scriptores, sed præpostero adhuc cursu: & inprimis de Quatuor Euangelistis instituitur sermo. Plura præterea Euangelia prodiêre, sed respuenda prorsus. Familia inter Sectarios fuit à Caino deducta, quibus documento erat Iudæ traditoris Euangelium. Græca Exemplaria olim Novi Testamenti interstingui non solita, præterquàm notulis ad marginem quibusdam. Diversè tamen quippe distingui illud subinde consueverat, nullâ primitùs sectione descriptum fuisse, argumento est. Multiplex fuit Symbolica prædictio Quatuor Euangelistarum. Testimoniis comprobatur varietas illa Sectionum. Abundè exquiritur, quânam occasione, ac consilio, accesserint Illi ad Euangelicam contexendam Historiam? Sed habitâ tunc ratione potissimùm videtur Veritatis, ac Doctrinæ: posthabito ut plurimùm rerum gestarum ordine. Quapropter Euangelia ipsa aptè possunt Historica Adversaria indigitari: unde tamen & contexi quiret Historia

numeris

numeris suis absoluta. Ioannes servare dicitur amplius gestorum seriem. Diversus Sectionum numerus ac forma, tandem memorantur Quatuor Euangeliorum. Et tituli quidam recensentur, quibus & Ipsa designari solita, ac discerpi.

MONUMENTA hactenus exquisivisse externa, atque excussisse, necesse nobis omninò visum fuit, ut, licet adverso gradu (nam *Inque suos fontes versa recurrit aqua*) recto tamen ordine progredi possemus ad scopum, quò nostra collimat disputatio. Nunc autem ad Sacros jam Scriptores proficiscimur: sed qui adhuc recentiores cùm sint etiam ipso Mose (Mose nempe primo Scriptore Sacro, ad quem & nunc contendimus) præposterè adhuc & nunc nos incedere, proculdubiò est; & pariter etiam procedere recto cursu. De quatuor mihi in præsentiâ sermo est Magnis Historicis JESU-CHRISTI DOMINI Testamenti, qui κατ' ἐξοχὴν *Quatuor Euangelistæ* dicuntur, cùm plura sint alia suspecta, atque fallacia Euangelia à Patribus Græcis, & Latinis memorata; ut nec Judæ Iscariotæ, proditori illi nefando, vel suum defuerit Euangelium. De illis agens, qui Caianâ hæresi infecti erant, & à Caino fratricidâ cognominabantur, tradit S. Epiphanius

Hæres. XXXVIII. opus apud eos circunferri, ὁ Εὐαγγέλιον τοῦ Ἰουδα καλοῦσι', *quod Judæ Euangelium appellant*. Quatuor igitur iſtos patentis jam FILII DEI Scriptores, non Typici, noſtra quoque obſervatio eſt, ſingulos itidem Hiſtoriam ſuam conſtruxiſſe nullâ interruptione Capitum, ſed unâ continenter ſerie productam. Res enim eſt veri adeò perſimilis, ut vel ſi conjecturis tantùm ſtandum foret, nihil dubii relinqueret: ſed autumo, ſat longè procedere ultrà conjecturalem utique conſtitutionem.

Primò ad rem inquam, ſatis de eo convenire inter omnes, Antiquiſſima ſcilicet Græcorum Novi Teſtamenti exemplaria notâ aliâ ſectionis non interſtingui, præterquàm illâ ſerie litterarum, quæ numeralis eſt, oræ contextus appictâ. Penes me exemplar eſt ex vetuſto admodùm Libro Regiæ Bibliothecæ Pariſienſis depromptum, typis & Regiis adeò pulcerrimis à Rob. Stephano excuſum, ut potiùs artis miraculum indigitari liceat. Ibi quodlibet Opus Fœderis Novi non alio liquet Capitis diſcrimine notari, quàm exiguâ in eâdem lineâ ſpatii intercapedine cum litterâ majuſculâ; adpoſitis è regione ad marginem Græcis elementis, quæ numerum ſignificant, hoc ſcilicet modo, α, β, γ, & ſic deinceps.

ceps. Præterea consultò adduntur ibidem numeri etiam ex illis, qui barbarici vocantur, eisdemmet locis, ubi notantur hodie distinctiones Capitum in Editionibus vulgatis utriusque Linguæ. Discrepant verò inter se mirum in modum utræq; divisiones, adeò ut raro coëant eodem simul in loco & litteræ, & numeri. Hæc autem varietas Sectionum, ubicunque occurrit antiquum Scriptum occupare, cujusque sit Auctoris, certo certiùs argumento est (ut & anteriùs dictum) sublestæ fidei exstare quanlibet illam dissecandi rationem; Auctorémque indistinctè Scripturâ opus suum compegisse. Quod aliter in Novo Testamento quoquomodo fieri, mente compos non rebor. Quæ de integro illo Sacro Monumento dicta videlicet sunto.

Præterquàm quòd mystica, & olim prævia significatio Quatuor Euangeliorum (quæ & multipliciter exprimitur Scriptoribus priscis, quam & multis persequitur Ioan. de la Haye Cap. XXXVI. Apparatus Euang.) nec plures capit subdivisiones eorum, nec pauciores ferat. Hoc & symbolicè innuunt quatuor milites Vestimenta JESU-CHRISTI DOMINI dividentes in Quatuor Fragmenta, ut sortirentur. Planè adstruit S. Ambrosius Libr. de Tobia

Cap. xx. *Nullus enim eorum Vestimenta* CHRISTI *scindit, sed Dividit, sicut scriptum est:* Diviserunt Vestimenta mea sibi, & super Vestem meam miserunt sortem. *Diviserunt sibi* EVANGELISTÆ *Vestimenta Ejus, & super Vestem Ejus, hoc est, super prædicationem Euangelii, qua vestitur hodie* DOMINUS, *miserunt sortem, &c.*

Sed particulatim nunc de singulis Euangelistis pauca attingimus, quæ & cujusque, non obscurè ostendant, Texturam Historicam, aut Capitibus pridem non distingui consuevisse; aut, quod eódem recidit, aliter atque aliter subinde interruptam. De *Matthæo* attestatur antiquissimum Lectionarium Græco-Arabicum, quod Iof. Scaligeri fuit, laudátque non semel Dan. Heinsius Exercitat. Sacris ad Novum Testamentum. In eo, exempli gratiâ, extrema verba ex nostrâ divisione capitis vigesimi primi, ἐπειδὴ ὡς προφήτην αὐτὸν εἶχον, *quoniam sicut Prophetam eum habebant*, cum initio vigesimi secundi, quod est, Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, *Et respondens Iesus*, continuantur. Et ejusdem exempla indolis passim apud illud offendi, semel ibidem ille monet. De *Ioanne* indicat etiam Heinsius in Aristarcho Sacro, cum Caput ejus, ex distinctione nunc receptâ, tertium annectitur haut rarò supe-

ſuperiori ab Antiquis; quod & Syri datâ operâ fecerint. Sed pluribus de hoc Euangeliſtâ mox agimus. Itaque & *Marci* Euangelium, quod Latinè ſcripſiſſe, aſſeverant multi, in Eccleſiâ Aquileienſi (cui & Marcus ipſe præſedit Epiſcopus) *αὐτόγραφον*, hoc eſt, *manu ſuâ exaratum*, & continuâ texturâ conſtructum characteribus Latinis, duobus aut tribus abhinc ſæculis oſtendi ſolitum, tradunt quoque nonnulli. quorum fidem nunc elevare deſinimus, quantíve ſit judicare. Ac denique *De Luca* idemmet conligi, patet inferiùs.

Ceterùm mihi, quale quale judicium eſt, Hiſtoriæ hujus Sacræ deſcribendæ Occaſio, & Conſilium, quibus impulſi ſunt plures ex Quatuor Euangeliſtæ, non minoris videntur æſtimari debere, quàm teſtimonia ipſa, quæ protulimus, ac deinde proferemus. Ab Eis enim non adeò habitam rationem fuiſſe, cùm Hiſtoriam eam conderent, Ordinis rerum geſtarum, & Concionum, & Sermonum DOMINI; ſed potiùs Veritatis, qua omnia geſta ſunt; ac Doctrinæ pariter, quæ Sermonibus illis contineretur, jam præmonuerunt alii. Immò hæreticorum quorundam calumniis, adverſus hunc non ſervatum Ordinem oblatrantium, ſatis ſupérque

 fieri

fieri Consilio eo, & Occasione, jam dudum curæ fuit doctissimis hominibus suppeditare. Matthæi, primi Historici, Consilium, Ut profecturus ad Gentes, illis Judæis, quos Euangelicâ prædicatione imbuerat, scriptum à se ipsum Euangelium relinqueret. Itaque quæ vivâ voce prolata audiverant, in scriptis subinde ob oculos haberent; ne aut eorum obliviscerentur, aut secus ac dicta fuerant, eadem quirent interpretari. D. Chrysostomi hæc sententia est Homil. I. in Matthæum. Et illud ei extitisse Occasioni, ut Hebræo sermone Euangelium suum describeret. Ast, quandocunq; litteris ille mandaverit, sive Nicephorum Callistum audimus, qui Libr. II. Histor. Ecclesiastic. Cap. XLV. ait: Αὐτίκα γὰρ, πρῶτος Ματθαῖος ὁ ἐκ τελωνίου, Ἑβραίοις τὸν σωτήριον λόγον κηρύξας· ἐπείπερ ἀπαίρειν ἐφ' ἕτερα τῶν ἐθνῶν διὰ σπουδῆς εἶχε, πατρίῳ γλώττῃ, τὸ κατ' αὐτὸν εὐαγγέλιον μετὰ ιε' ἔτη τῆς Χριστοῦ ἀναλήψεως καταλελοιπώς: *Statim enim primus Matthæus publicanus, Hebræis salutifero Verbo prædicato, quandoquidem aliò ad Gentes ire maturabat, sermone patrio Euangelium suum; elapsis quindecim post* CHRISTI *ascensionem annis, scripsit*: Quod in ann. DOMINI XLIX. incideret; sive Eusebio Lib. II. Histor. Ecclesiast. Cap. VIII. assentimur, subindicanti annum

DOMINI

DOMINI XLI. indubium, inquam, eſt, Matthæum ſcriptis tradidiſſe ſuum Euangelium in ipſo profectionis procinctu, veluti feſtino, ac properato quodam opere. ubi nihil ipſe penſi haberet, qua digeſtione rerum, aut Ordine, Capitúmve diſtinctione, geſta DOMINI exprimeret: potiùs, quæ memoria ſuggereret, illicò, ne laberentur, litteris conſignaret.

Diſertè hoc ipſum de Marco teſtatur D. Hieronymus Prooemio in Commentarios ſuper Matthæum: *Secundus Marcus, interpres Apoſtoli Petri, & Alexandrinæ Eccleſiæ primus Epiſcopus: qui DOMINVM quidem Salvatorem ipſe non vidit, ſed ea, quæ Magiſtrum audiverat prædicantem,* IVXTA FIDEM MAGIS GESTORVM NARRAVIT, QVAM ORDINEM. Et, profecturus aliquò, ut Matthæus, non maturabat. Sed Papiam, Ioannis Euangeliſtæ diſcipulum, juvat audire, qui abundè rem narrat, & conficit negotium. Sic apud Euſebium loquitur Lib. III. Hiſt. Eccleſiaſt. Cap. XXXIII. Μάρκος μὲν ἑρμηνευτὴς Πέτρου γενόμενος, ὅσα ἐμνημόνευσεν ἀκριβῶς, ἔγραψεν. οὐ μέντοι τάξει τὰ ὑπὸ τοῦ Κυρίου λεχθέντα ἢ πραχθέντα. οὔτε γὰρ ἤκουσε τοῦ Κυρίου, οὔτε παρηκολούθησεν αὐτῷ. ὕστερον δὲ ὡς ἔφην Πέτρῳ, ὃς πρὸς τὰς χρείας ἐποιεῖτο τὰς διδασκαλίας. ἀλλ᾽ οὐχ ὥσπερ σύνταξιν τῶν Κυριακῶν ποιούμενος λογίων, ὥς τε οὐδὲν ἥμαρτε Μάρκος.

Μάρκος οὕτως ἔνια γράψας ὡς ἀπεμνημόνευσεν. ἑνὸς γὰρ ἐποιήσατο πρόνοιαν, τοῦ μηδὲν ὧν ἤκουσε παραλιπεῖν, ἢ ψεύσασθαί τι αὐτοῖς. *Marcus, qui fuit interpres Petri, quæcunque tenebat memoriâ, ſcripſit quidem accuratè: ſed tamen non eo Ordine, quo erant à* DOMINO *dicta, factáve. Neque enim* DOMINUM *audierat ille quidem, neque erat eum comitatus: ſed poſtea, ut dixi, comes Petri fuit. qui quidem non* DOMINI *ſermones, & præcepta, eâ narrandi ſerie, quam* DOMINUS *in illis tradendis tenuiſſet, docebat: ſed eam in prædicando rationem ſequebatur, quam ad auditorum animos inſtituendos opportunam, accommodatámque cenſuit. Quare in eo neutiquam erravit Marcus, quòd quædam (ſicut memoriæ ea antè mandaverat) litteris prodidit: quandoquidem hoc unum mente, & cogitatione ſedulò proſpexit, ut nec quicquam eorum, quæ audiviſſet, prætermitteret, nec falſi aliquid iiſdem omninò interponeret.*

Conlectanea ergo Hiſtorica, Adverſariáve, quæ & apparatum potiùs, ac materiem contineant conſtruendæ Hiſtoriæ, quàm Hiſtoriam ipſam, mihi videor, Euangelia iſthæc potuiſſe aptiùs Viris Eruditis cognominari. Sive ὕλην vocare mavis, id eſt, *Sylvam*, Latini *Commentarios* dicunt. Ejuſmodi autem quibuſlibet Adverſariis, Conlectaneiſve, naturâ ſuâ, & indole, locus

locus unquam non fuit divisioni ulli Capitum; nec quid tale quisquis eorum Auctor mente unquam concepit: posteà benè forsàn Interpretes, ut, adhibitâ distinctione locis opportunâ, suppetias irent studiosorum labori. Historia tamen ex quadruplici Euangelio commodè quidem posset contexi, & studium, puto, ni me fugit memoria, nonneminis jam fuit: Monumentúmque id in segmenta commodè plura tributum.

De Luca item cogitare aliter non licet, ac de Marco, & Matthæo; quippe qui è Paullo Euangelium τεταραγμένως, *inordinatè* expiscatus est, ut Marcus è Petro. quo protritius nihil adhuc: itémque variò illud etiam distribui. Dissectum hodie est XXIV. Capitibus. Oecumenius, & Euthymius in LXXXIII. discrevêre; Ammonius, & Eusebius in CCCXLIII. Ambrosius autem CLXIV Titulos designavit.

Ioannes solùm restat, sed qui obesse forsitàn hoc nomine quid videretur, cùm secus valdè ac de ceteris vidimus, de Illo ab omnibus, liquidò constet, existimationem haberi. nam nec festinanter scripsisse suum Euangelium, nec inconcinno Ordine, profitentur Viri doctissimi, quibus & ego subscribo. Nihilominus in Capita,

ego inquam, illud non discerpsit. Eandem quoque sortitus est Sectionum varietatem apud ætate inferiores, ac tres alii Euangelistæ, quòd Ipse itidem datâ operâ non disrupisset. In Vulgatis hodie Ejus Euangelio adscribuntur XXII. Capita: Suidas verò CCXXXII. adscribit, & sic alii variant. Ast Quadrijugi denique Currus illius Sacri, quo vectatur FILIUS DEI, numeri Sectionum in unum conlati, immanem summam conficiunt. En quam accepimus ex Cæsario, Nazianzeni fratre, in Quæstionibus: Τέσσαρα ἡμῖν ὑπάρχει Εὐαγγέλια, κεφαλαίων χιλίων ἑκατὸν ἑξήκοντα δύο. *Quatuor sunt nobis Euangelia, quæ mille centum sexaginta duobus Capitibus constant.* Sed Suidas, *nongenta septuaginta & unum Capita* annumerat. Uterque ut nostram divisionem superet, manifestum est. Sed diutiùs in re clarâ ineptum argutari.

Neutiquam tamen prætermittam, Et in *Titulos* quoque dissipari solita Quatuor Euangelia. Id genus aio *Titulos*, in quos & Poëmata Homeri discrevisse Grammaticos superiùs dictum. Tales sunt isti Nazianzeni, qui Tituli Miraculorum agnoscuntur: ΠΕΡῚ ΓΆΜΟΥ ἘΝ ΚΑΝΑῚ; ΠΕΡῚ ΒΑΣΙΛΙΚΟΥ͂; ΠΕΡῚ ΤΟΥ͂ ἘΝ ἈΣΘΕΝΕΊᾼ; ΠΕΡῚ ΠΈΝΤΕ ἌΡΤΩΝ; ΠΕΡῚ

ΤΟΥ͂

ΤΟΥ͂ ἘΠῚ ΤΗ͂Σ ΘΑΛΆΣΣΗΣ ΠΕΡΙΠΆΤΟΥ; ΠΕΡῚ ΤΟΥ͂ ἘΚ ΓΕΝΕΤΗ͂Σ ΤΥΦΛΟΥ͂; ΠΕΡῚ ΤΟΥ͂ ΛΑΖΆΡΟΥ; ΠΕΡῚ ΤΟΥ͂ ΘΑΝΆΤΟΥ ΤΟΥ͂ ΚΥΡΊΟΥ; ΠΕΡῚ ΤΗ͂Σ ἈΝΑΣΤΆΣΕΩΣ; ΠΕΡῚ ΤΩ͂Ν ὉΜΙΛΙΩ͂Ν ΜΕΤᾺ ΤΩ͂Ν ΜΑΘΗΤΩ͂Ν. *De Nuptiis in Cana, De Regulo, De Ægroto, De Quinque panibus, De Incessu supra Mare, De Cæco à nativitate, De Lazaro, De Morte* DOMINI, *De Resurrectione, De Congressibus, ac Sermone cum Discipulis.* Euangelistæ Ioannis isti Tituli sunt; Suidas verò omnium Quatuor recenset, cujus ista addimus in fine: Τίτλος διαφέρει κεφαλαίου. Καὶ ὁ μὲν Ματθαῖος ἔχει Τίτλους ξη'. κεφάλαια τνε'. ὁ δὲ Μάρκος Τίτλους μη'. κεφάλαια λϛ'. Ὁ δὲ Λουκᾶς, Τίτλους πγ'. κεφάλαια τμη'. καὶ ὁ Ἰωάννης Τίτλους ιη'. κεφάλαια σλβ'. *Titulus differt à Capite. Nam Matthæus quidem habet Titulos* LXVIII. *Capita verò,* CCCLV. *Marcus autem Titulos* XLVIII. *Capita* XXXVI. *Lucas verò Titulos* LXXXIII. *Capita* CCCXLVIII. *Et Ioannes Titulos* XIIX. *Capita* CCXXXII. Variant tamen alii, ut in Capitibus, etiam & in Titulis. Sed hactenus nobis de Novo Fœdere hîc disceptatum sit.

SECTIO IV.

Ad Mosem deventum, Primum, in Sacris, atque Profanis, Scriptorem. rationi ideò non consonat, Scripta sua distinxisse illis Sectionum pigmentis, quæ plures adhuc recentiorum non adhibuerunt. In templis Antiquiorum, antequam gesta Scriptis mandarentur, condita rerum nonnulla monumenta, quæ in publicum non exibant. Moses an Litterarum Inventor? Sed Vindex potiùs fuit: ac forsàn Litteras à DEO *habuit, quas Samaritani retinuerunt. Præstantiâ item* PRINCEPS *Moses Scriptorum, non tamen ideò quas inferior ætas distinctiones invenit, tumprimùm eidem in usu forent. Immò integer Pentateuchus, ortus ab Illo contextus unus æqualis, & continuus, sine ullâ Librorum interruptione. Ipse Quintuplex Liber simpliciter* LEX *vocatur,* THORA *Hebræis. Turpis error Philonis. Quando* LEX *Sectionibus interstincta, nescitur prorsus. Hebræi Magistri sibi arrogant, & pariter Græci. Multiplices Sectionum species denique memorantur, quæ propriæ Pentateucho.*

VENIO denique ad MOSEM, Scriptorum omnium Sacrorum, & Profanorum, verè, ac facilè PRINCIPEM: quocirca & nostri hujusce Opusculi Curam scilicet, & Studium præcipuum, & egregium. Volumus ergo Eum, ut tot junioribus aliis Capitum distinctiones non innotuêre, non adhibuisse pariter

pariter suæ primitus Historiæ. Condimentum namque id, fucúsve, ut sic dicam, subinde scripturienrium, affectanda viderentur potiùs ætati jam adolescenti; quàm infantia illa concupisceret primo adhuc diluculo verborum, & rerum. Ubi enim si Primatum, ut fas est, ætatis dederimus Ei in Sacris Scriptoribus; &, in Profanis, addidisse, planè quidem superfluit. Constat vel ex ipsis Scriptoribus Gentium, Mosem sæculis aliquot anteriorem esse quolibet ethnico Scriprore; cum Gentes ipsæ ex suis ullum nominare non possint, qui, si bene calculum ponunt, quid temporis ipso non sit Bello Trojano recenrior, aut eidem circiter æqualis: Mosem autem sat longè eo Bello vetustiotem haberi, compettum. Mitto tamen nonnulla Monumenta in templis Ægyptiorum, Chaldæorum, & Phœnicum, asservari solita, quæ in lucem non prodibant: Uti deinde in Lario etiam, apud Pontificem Maximum in Romanorum primordiis. quod jam ex nostrâ observatione notum Norit. I. *Compendii Geographici.* Sed his hodie immorari importunum, postquam eo labore, ur planum facerent, desudarint Viri eruditissimi. Quin immò, si Eupolemo fidem habemus Lib. *De Regib. Judæor.* quem & lau-

dant Clemens Alexandrinus Lib. I. *Stromat.* & Eusebius Cæsariensis Lib. IX. *Præparat. Euangel.* Moses ille Litteras invenit, quibus & Libri ipsi describendi forent. Itaque cum Eo conferri non debent, sive Barbarica antiquior, sive Græcanica Philosophia, cùm illæ nempe jam proditæ litteris.

Inficias equidem non eo, longum texi dissidium de primâ origine scriptionis; sed maximâ ex parte id pacatum relinqui, ego etiam observo, si animadvertimus, Plures Gentes, quæ ob Litterarum inventionem prædicantur, unam & eandem esse diversis appellationibus. *Assyriis* adsignat Plinius Lib. VII. Cap. LVI. *Syris*, ipso teste, alii; *Phœnicibus* innumeri. qui verò tribuunt *Mosi*, cum prædictis prorsus consentiunt quadam prolepsi, vetustis adeò rebus familiari. *Judæi* namque *Assyrii* dicti, *Syri*, *Phœnices*, *Aramæi*, *Chananæi*, *Palæstini*, &c. quia *Syria, quondam terrarum maxima, & plurimis distincta nominibus,* (ut verba ejusdem Plinii sunt) tot ea Loca, ac plura etiam complectebatur, quæ tenuerunt Hebræi; & omnibus utique Hebraicæ Litteræ propè sine discrimine erant in usu. Τὸν Μωσῆν, Eupolemus affirmat, πρῶτον σοφὸν γενέσθαι, καὶ γράμματα παραδοῦναι τοῖς Ἰουδαίοις πρῶτον, παρὰ δὲ Ἰουδαίων

Φοίνικας

φοίνικας παραλαβεῖν, Ἕλληνας δὲ παρὰ Φοινίκων, &c. *Mosem primum Sapientem fuisse, Judæisque primum Litteras tradidisse: à quibus eas Phœnices, ut à Phœnicibus Græci, acceperint*, &c. Nihilominus, licet Mosem, adseram etiam ego, Primum fuisse sapientem, qui Libros in publicum ediderit; Litterarum tamen Auctorem jure haberi, non putem, sed Vindicem. Altius, equidem autumo, revocari oportere Litterarum inventionem, & cum D. Augustino Lib. XVIII. *De civitat.* DEI, Cap. XXXIX. putandum, *Hebræas Litteras à Lege non cœpisse, quæ data est per Mosem: sed potiùs, per illam successionem Patrum, memoratam Linguam cum suis Litteris custoditam*. Mosem autem ipsum, cùm accingeret se condendæ Scripturæ Sacræ, rudes, & inconditos characteres antiquos, post diluvium fatiscentes, in aptiorem formam, & usum concinnasse, nostra sententia est, & jure quasi postliminii vindicasse.

Forsitàn aut potius sit (ut leviter & isthæc perstringam) illosmet Characteres accepisse à DEO in monte Sinai, EJUS Digito nimirum exaratos; & Hebræis deinde tradidisse, unde & *Hebraici* dicti, non aliunde: quos & retinent, aiunt, huc usque Samaritani. Ast Judæi posteà captivi Babylone, sceleribus infecti, non tantùm

tùm Linguæ obliti ſunt, ſed etiam Characteris. Itaque Legem tum promiſcua plebs litteris, & linguâ Chaldaicâ (eorum ſcilicet, apud quos exulabant) ſibi deſcribebar. Verùm ſuperveniens Regi Balthazaro ſubinde Angelus, & in pariete ſcribens, Characterum mutationem induxit; quam fecit Eſdras, antiquorum nempe jam obſoletorum reſtitutione. Pleniùs tamen, fuſiúsque iſta noſſe qui velit, adeat Virum peritiſſimum Linguarum Orientalium, eruditionísque omnimodè multiſcium, Ioannem Morinum Exercitat. II. *in Samaritanorum Pentateuchum*. Cui ſi & noſtræ commentariones probentur, nihili jam eas deſinam habere; *cùm planè ex illis ſint, quæ per Indices non ſapiant; nec quas, fors, quicunque oculatus eſt, proſpicere ſtatim poſſit*.

Sed redeo in viam haut nimis præter rem è diverticulo. Et Præſtantiâ, inquam, & Dignitate (ut antè riùs de Ariſtotele) & Moſes audit etiam Scriptor *Princeps*. D. Auguſtinus paucis utrunque Principatum adumbrans, Præſtantiæ ſcilicet, & Temporis, Cap. XXXVII. ejuſdem Lib. XVIII. ait: *Sed nec ipſum verum Theologum noſtrum Moſem, qui Unum Verum* DEUM *veraciter prædicavit, cujus nunc* SCRIPTA *in auctoritatis Canone* PRIMA *ſunt, Tempore* [alii Scriptores] *PRÆVENERUNT*.

RUNT. Atenim ἅπερ Μωσῆς θείας ἐπιπνοίας ἀξιωθεὶς διηγήσατο, *quæ divino ſpiritu afflatus enarravit*, ut tradunt cum Philopono Theologi Græci, mirum non erit, ſi commendentur etiam ab ineffabili,& ſummâ ſermonis facundiâ, & puritate: quam & ipſi Pagani non inficientur, vel qui de Sublimi Orationis genere ediſſertarint. Adiri quit Longinus Caſſius:nolumus jam nos,quid, etſi genuinum, interjici, quod obſtet tamen celeri gradu attingere inſtitutum.

Dum autem Primæ igitur Scripturæ initium Moſes ducit ab ipſomet rerum initio, quæ mirè inter ſe conſonant; in illis enim incunabulis,ac rudimentis ingenioſæ lucubrationis exactam normam expleri artis jam maturæ, quiſquis nunc cogitet, naturæ, & ingenio adverſabitur omnium noviter inventorum. Nihil, inquam, inchoatur ſimul ac perficitur, à primâ etiam ipsâ conſtitutione rerum Artificis Supremi:ſenſim, ac per gradus illuc continuò deventum deinceps eſt. Nequit itaque in animum induci, Sectionum minutias, quibus inferior ætas affulſit Scriptis, præſtitas ab Illo tum primùm: maximè cùm tot alii ex veterrimis Scriptores, (ut ſatis jam liquet,) qui & nequaquam Moſem neſciverunt, immò expreſſerunt ſæpè, palàm id

 atteſten-

atteſtentur, dum nuſquam ſuorum operum illas adſperſerint. Potiùs (ut mea fert ſuſpicio) ipſa etiam Contextus ejus Sacri in quinque Libros digeſtio, *Geneſim*, *Exodum*, *Leviticum*, *Numeros*, *Deuteronomion*, à manu juniori eſt, Moſes quippe non fecit. Sic & annuere videntur Ejus alicubi verba. in Exodi Cap. XXIV. comm. VII. inquit de ipſo integro Opere: וַיִּקַּח סֵפֶר הַבְּרִית וַיִּקְרָא בְּאָזְנֵי הָעָם׃ *Et cepit* LIBRVM *Fœderis*, *&* *legit in auribus populi*. Pariter in Deuteronomii Cap. XXXI. Comm. XXIV. וַיְהִי כְּכַלּוֹת מֹשֶׁה לִכְתֹּב אֶת־דִּבְרֵי הַתּוֹרָה־הַזֹּאת עַל־סֵפֶר עַד תֻּמָּם׃ *Et fuit cùm conſummaſſet Moſes ſcribere verba* LEGIS *iſtius in* LIBRO, *aduſque ea perficere*. Hebræis nanque Volumen illud quintuplex תורה *Thora*, id eſt, LEX, vel *Doctrina* vocatur; à verbo ירה *jara*, quod eſt *docuit*. *Lex* quippe nihil aliud habetur, quàm *Doctrina*, & inſtructio hominum. Sic paſſim & apud Græcos Patres, Latinósque videre eſt, & apud Rabinos, Libros Moſis ἁπλῶς *Legem* uſurpari. ac bono ſat jure, nam etſi in Geneſi paucæ Leges contineantur; Exodus verò, Leviticus, & Numeri Legibus pleni ſunt: & Deuteronomium, ut verbum indicat, priorum eſt quædam ἀνακεφαλαίωσις: itaque *Secunda*, & iterata *Lex*. Inſignem locum proferam Eliæ Levitæ, Grammatico-

maticorum Hebræorum eruditiſſimi, ex tertiâ Præfatione in Librum *Maſoreth Hammaſoreth*, quo ita evincuntur omnia,ut ex argillâ,uti collibuiſſet, effictum nobis, conjiciat nonnemo:

אך אמת הוא שאין בו ספק שזאת התורה אשר שם משה לפני בני ישראל היית ספר פשוט בלי נקוד ובלי טעמים ובלי סימני סופי פסוקים כאשר אנחנו רואים היום ולפי דעת בעלי הקבלה כל התורה היא כפסוק אחד :

Sic Latinè ſonat ex verſione doctiſſimi Morini: *Veritas hoc eſt, neque in eo ullum eſt dubium,* LEGEM *illam, quam poſuit Moſes ante faciem filiorum Iſraël, fuiſſe Librum Simplicem, ſine punctis, ſine accentibus, & ſine ſignis finientibus verſus, ſicut nos hodie videmus* [in Synagogis nempe, ubi ſic adhuc Exemplaria ſervantur:] *Verùm etiam, juxta ſententiam Cabbaliſtarum,* LEX *univerſa fuit ſicut* VNVS VERSVS. Hinc jam quælibet alia teſtimonia redundent, ac parcimus nonnullis: eis quippe & opus nobis non eſt, ut obtineamus id, in quod enitimur, & contendimus. cùm vel putida, & caliginoſa Philonis etiam verba, ſi atra bilis non eſt,

—— Per me equidem ſint omnia protinus alba.

Vera, inquam, proba, & cujuſque hæſitationis expertia. Homini Judæo, Græcè docto, pariter Moſem Græcè doctum facere, venit in mentem: Et ipſummet Sectionem feciſſe illam

X 2 Quin-

Quintuplicem suorum Librorum, tradidit nobis: Et, si Divis placet, Inscriptionibus illis Græcis donasse eosdem Libros, quibus hodie insigniuntur, *Genesis*, *Exodi*, &c. ubi ne fando Græcorum idioma, nomenve erat auditum. Satius tamen erit, ipsum audire. Libro Περὶ ἀφθαρσίας κόσμου, *Quòd Mundus sit incorruptibilis*, ait: Μακροῖς δὲ χρόνοις πρότερον ὁ τῶν Ἰουδαίων νομοθέτης Μωϋσῆς, γενητὸν καὶ ἄφθαρτον ἔφη τὸν κόσμον ἐν ἱεραῖς βίβλοις· εἰσὶ δὲ πέντε, ὧν τὴν πρώτην ἐπέγραψε Γένεσιν, ἐν ᾗ ἄρχεται τὸν τρόπον τοῦτον. Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν. *Sed longè antiquior Moses Legifer docuit Judæos, Mundum esse genitum, & incorruptibilem, quod scriptum reliquit in Sacris Bibliis. Sunt autem quinque, quorum primum Inscripsit* GENESIM, *sic exorsus eam: In principio fecit* DEUS *Cælum, & Terram.* Et Libro Περὶ ἀποικίας, *Sive De migratione Abrahami:* Παγκάλως οὖν ὁ ἱεροφάντης μίαν τῆς νομοθεσίας ὅλην ἱερὰν βίβλον, Ἐξαγωγὴν ἀνέγραψεν, οἰκεῖον ὄνομα ἐπιγράμματος τοῖς περιεχομένοις χρησμοῖς. *Rectè igitur Sacer Vates unum integrum Legis Librum,* EXODUM *Intitulavit, nomine conveniente contentis in hoc oraculis.* Sed pergimus nos, & relinquimus Philonem; nam lis nobis est duntaxat de Capitibus.

Verùm enim verò, Quando nimirum, & A quibus reverâ Volumen id Sacrum in Libros, Libri deinde in Capita diducti sint, certo certius

rius est, certi quid non haberi. Qui altiùs arcessunt, ab Esdra, & Viris Synagogæ Magnæ, omnia præstita dicunt; sed perperàm, ac satagunt frustrà. Philo autem sæpè, & Josephus Lib. 1. *contra Apionem*, quinariam, sed solam, jam Divisionem agnoscunt. Masorethæ enixè conantur sibi vendicare; nec desunt, qui suffragentur. *Masorethæ*, inquam, Critici Hebræorum, ex Mœsiâ Paphlagoniæ Judæi oriundi, *Tiberitæ* etiam appellati: quorum industriæ Grammaticationes proficuæ non semel referuntur, nocuæq; item non semel. & conflasse quoque ipsi putantur Inscriptionem illam à numero Librorum, חֲמִשָּׁה חוּמְשֵׁי, *chamasch chomesce*, id est, πεντὰς πεντάδων, *seu quinarius quinariorum*, quod est, Quinarius egregius, ac nobilissimus. Librorum verò subinde unumquenque ab initialibus dictionibus nuncuparunt. primum בְּרֵאשִׁית, *Beresith, In principio*; secundum, וְאֵלֶּה שְׁמוֹת, *Veelle shemoth, Et hæc sunt nomina*; tertium, וַיִּקְרָא, *vaijcra, Et vocavit*; & sic ceteros. Alii studium rentur, Septuaginta Interpretum fuisse; quibus πεντάτευχος integrum Opus inscriptum, quòd in quinque Volumina foret dissipatum. Et singula eorum Græcis illis inlustribus appellationibus distincta, *Genesis, Exodi, Levitici*, &c. Ego

itaque in medium relinquo: Davus equidem, non Oedipus sum.

Ceterùm minutas jam Sectiones eorundem Librorum, nempe per Capita, Commata, sive Versiculos, quos nostra potissimùm spectat Animadversio; & adhuc non comminiscitur Philo, Mosi adsignandas Primati Scriptori, multiplici etiam præ ceteris, & diversâ ratione distingui, ac variari, demùm animadvertimus. Labor tamen ille, quorumcunque olim fuit, nobis jam solùm reliquus est, sed qui paucis omninò constiturus. Discerptum hodie invenimus Librum *Geneseos* L. Capitibus, *Exodi* XL. *Levitici* XXVII. *Numerorum* XXXVI. *Deuteronomii* XXXIV. Quam omnium nuperrimam divisionem existimo. Itaque Capita CLXXXVII. ex toto Pentateucho conliguntur. Attamen cum nullo, paullò antiquiori, alio, quantum est Distinctionum, congruit alicubi quoquomodo iste numerus. Judæi Magistri, ex Masoretharum tamen decreto, Librum Geneseos in duodecim Fragmenta diducunt, quas *Paraschas* ferunt; & in quadraginta & tres, quas appellant *Sidras*. In toto autem Legis Volumine Paraschas constituunt LIII. Sidras CLIV. Alicubi etiam & per Commata, aut Versus partiuntur, quæ illis

Pesukim

Pesukim vocitantur. & ex quintuplici Libro quinque millium octingentorum & triginta numerus conficitur. Aliter etiam & in *Titulorum* discrimina interrumpunt Grammatici nonnulli, numero scilicet duorum & quinquaginta. hoc est, *Genesim*, in undecim Titulos; *Exodum*, pariter in undecim; *Leviticum*, in decem; in totidem, *Numeros*; & in totidem etiam *Deuteronomium*. Ipsis etenim Titulis ex primis eorum dictionibus nomina, more suo, fecerunt. Primus itaque perhibetur בראשית, *Beresith*, id est, *In principio*; Secundus נח *Noach*, sive *Noë*; Tertius לך לך, *Lecleca*, hoc est, *Egrediens egredere*; & sic deinceps. Ast Samaritani, puto, admodùm antiqui, singulos sui Pentateuchi Libros in Sectiones discerpsêre, quas *Katsin* dicunt, Paraschis Judaicis, & Sidris longè breviores. Ducentas & quinquaginta in Libro Genesis adnumerant, appicto hunc in modum numero ad calcem Libri: *Liber iste Primus Sectionum est ducentarum & quinquaginta.* Et in fine, ubi explicit maximus Quinio, subjiciunt, Summam ex illo confectam, Nongentis & sexaginta sex Katsin, sive Sectionibus, constare. Aptè enim, uti in liberâ, ut sic dicam, areâ, agróve immuni præsignatorum à domino finium (aliter

ter quippe fieri nequaquam potuisset) quilibet terminos sic variò definire quiverat impunè;

Aut signare quidem, aut partiri limite campum,
Fas erat

cuique mortalium; eritq; haut dubiò aliis pariter, nec indignè, in posterum. Sed huc scilicet usque dissertaverimus de multifidâ Scriptorum omnium divisione.

SECTIO V.

Certamen institutæ Animadversionis tandem committitur. & accedere ad illud jam licet fronte tranquillâ, & serenâ, cùm nil externum magis ab Historiâ Sacrâ ex dictis constet, quàm Ejus Sectionum interstinctio. Munus id Interpretum fuit Catholicorum, ad quod quandocunque patet aditus. Orbis universus puncto temporis conditus à DEO: *Sex dierum spatium superfluit. Eo Moses abusus ratione diversâ. Firmatur strenuè, notúmque id & Gentibus. Universi opificium Heptahemero narratur contineri: qui Septimum Diem ab eo separat, Codici adversatur Sacro. Moses copularat, secrevit ille, qui exordio Capitis secundi Geneseos annexuit. Palàm istoc fit conlatione pristinæ cum nostrâ distinctionis. Aptè Lector videretur quiescere, ubi requievit* DOMINVS. *Septimus Dies, Sabbatumque, requiei opportunum. Ut planiùs adhuc constet, immeritò agi cum primâ Hebdomade ab illis, qui ultimum diem ejus divellunt, Effata quædam producuntur. Primum est, Proba bifariàm divisio Diei: Alterum, Ipso Meri-*

Dies Naturalis ſumit exordium. Ita in uſu Aſtronomis, Populis pluribus, qui à Druidis habuerunt. Tenebræ Luce priores, quod & Gentilibus notum. Veſpera incipit à Meridie, atque abundè probatur. Duplex Veſpera, terminis ſuis definiuntur. Manè inchoatur à mediâ nocte, & vocatur Aurora: exinde aſcendit, ideóq; Atra Hebræis habebatur. Item Aurora proxima Veſperæ, Nocti. Expenditur locus Nonni in Paraphraſi Ioannis Euangel. Tertium Præmiſſum, In Inſtanti Progenitus Mundus, & ſtrenuè denuò confirmatur rationibus. Percurritur Caput primum Geneſeos; in Partes diſpertitur, exhibetur, inluſtratur. Primis ejus verbis Orbis ipſemet Partes omnes ſat commodè incluſæ. Septimo Die & cuncta ea effecta, idque adſertum Gentium Theologis. Denique ex Præmiſsis conligitur, Fabricæ Sex dies, quos mente complectimur, unicum fuiſſe Meridiani temporis punctum, & ſeptimi Diei; Eumque Heptameri verum ſolùm, ac Naturalem Diem, benedictum à DEO, *&* EI *ſacrum; inprimis ideò & memorandum Mundi Opificio. Qui verò ab illo ſejungunt, ſpatium ullum temporis, quod Hexamero ſuo contineatur, Primæ Hebdomadi non relinquunt.*

TANDEM jam, FRATER INLUSTRISSIME, ecce pervenio ad illam nempe, quæ Prima, quantum Diſtinctionum ſit ab initio rerum, exiſtimari oportet, Sectio Scriptorum omnium; & cujus gratiâ diſceptationis noſtræ filum, prolixæ forsàn, hucuſque protraximus. Meritò hîc triſte ſupercilium ca-

peratæ frontis, ad levem illum rumorem Contextus Sacri nunc denuò divulsi, quamprimùm contractum; solutum, reor, jam redditum sit, remissum, ac lætum. Utcunque ergo Intercisio est Sacerrimæ Texturæ Voluminum Sacrorum, alicubi dispescens æqualem Ejus seriem, & continuum tenorem; utcunque, inquam, sit, nequit enim aliud excogitari externum adeò, extrarium, atque diversum ab Ipsismet, & ipso Mose, conditore Eorum primævo. Omnibus quidem nobiscum probè sat convenit, id genus Distinctione qualicunque, pari quoque Distinctioni rerum, & perspicuitati sat posteà, duntaxat litatum. Itaque, ubi longissimùm abest, ut obesse quid unquam possit, semel aut iterum loco movere Distributionem illam in hodiernis Editionibus constitutam, & aliò transferre; immò sensui juxtà ac ordini mirum in modum nonnunquam proficere; aversari id studium, mihi videor, superstitiosum sit. Quicunque jam pridem ad Mosem inlustrandum accessêre, Ei ut ferrent opem, desudarunt, sive cùm enuclearunt sensuum Ejusdem arcana, sive cùm interquiescere fecerunt decursum contextus. Munus geminum Interpretis est, ut ex dictis jam liquet; aut Grammaticus ille sit ingenuus, non Gram-

Grammaticaſter, aut eruditior Criticus, Theologúsve multigenâ Litteraturâ perfuſus. Munia ſua Interpretibus adhuc interdicta non ſunt: nam haut ſecus hodie, ac pridem nempe, ea ſat licent; & cuilibet, modò Catholicus ſit, necnon eruditus, nunc etiam patent. Studioſo liberum eſt, anteriorum ſententiæ non aſſentire, ſuámque in medium proferre; amovendam pariter, cùm ſuppetat ubicunque præſtantior. En itidem nos ad Moſem reverenter adgredimur elucidandum, quod ulli mortalium vetitum non fuit: Immutare verò vel apicem eorum, quæ Eidem externa non ſunt, procul abſit à nobis: *Manum* ego non *mittam* cum עֻזָּה אֶל־אֲרוֹן הָאֱלֹהִים *Huzzah ad Arcam* DEI.

ORBIS molem univerſi ex nihilo creatam à DOMINO, inchoat Vates narrare ipſo Hiſtoriæ principio. Sex dierum inclytum Opus exhibet nobis. hoc eſt, in exædificando eo Summum Opificem ſex dies illos, primum Temporis ſpatium, inſumpſiſſe integros; & ſeptimo, imminente jam ut Veſperaſceret, id eſt, oriri, uti ſic dicam, inciperet, compleviſſe Fabricam, extremámque ei manum impoſuiſſe. Temporis autem numero illo abuſus Moſes, non quòd eo indiguerit Divinus Architectus, ut condе-

ret Mundum; ſed reſpectu quodam ad naturalem ordinem operum, ut D. Auguſtini ſententia eſt; ſive, ut Græcorum Doctorum, pro captu intelligentiæ noſtræ imbecillæ. Indubium quippe eſt, juxta cordatiorum aſſenſum, Univerſa ſimul effecta dicto citiùs à DOMINO, hoc eſt, quod dicunt, in inſtanti; duntaxat vultu Velle jam annuente. Immò, ſi nutus adhuc abundat, Dum tantùm Cogitat, præſtò fuerunt ſibi omnia, quæ fecit. Philo inquit in *De Mundi opificio*: Ἐξ δὲ ἡμέραις δημιουργηθῆναί, φησι, τὸν κόσμον, οὐκ ἐπειδὴ προσεδεῖτο χρόνων μήκους ὁ ποιῶν· ἅμα γὰρ δρᾶν εἰκὸς θεὸν, οὐ προστάττοντα μόνον, ἀλλὰ καὶ διανοούμενον. *Sex autem diebus fabricatum, ait, Mundum, non quòd temporis ſpatio opus habuerit Conditor.* DEUM *enim non juſſu ſolùm, verùm & Cogitatu operari creditur.* Διενοήθης γὰρ, verba refert Philoponus, λόγιόν ἐστι, φησὶν, καὶ ἐγενήθησαν ἃ ἐνενοήθης. *Cogitaſti enim,* inquit *Scriptura, & facta ſunt, quæ Cogitaſti.* Et S. Ambroſius, huc quoq; reſpiciens, Hexamer. Lib. I. ait: *Ut Voluntatis effectus ſenſum temporis præveniret:* Sic volunt ſanxiſſe & Concilium magnum Lateranenſe ſub Innocentio III. c. I. Et argutè item Sacrum ipſum Hiſtoricum, cùm, poſtquàm primo Capite Mundi expreſſiſſet Opificium diverſis diebus, altero ſubdit

comm.

comm. IV. *Istæ sunt Generationes Cæli, & Terræ, quando creata sunt in* DIE, *quo fecit* DOMINUS *DEUS Cælum, & Terram.* Cui & Ecclesiasticus accinat Cap. XIIX. ὁ ζῶν εἰς τὸν αἰῶνα ἔκτισε τὰ πάντα κοινῇ. *Qui vivit in æternum, creavit Omnia simul.* At munitum, quod hîc prætermittimus, Sacrorum ingens agmen Auctorum, claudat ipse Augustinus, sed doctissimis verbis ex Cap. IX. Civit. Lib. XI. *Nimirum ergo si ad istorum Dierum opera* DEI *pertinent Angeli, ipsi sunt Lux illa, quæ Diei nomen accepit: cujus Unitas ut commendaretur, non est dictus Dies Primus, sed Dies Unus. Nec alius est Dies secundus, aut tertius, aut ceteri; sed idem ipse Unus, ad implendum Senarium, vel Septenarium numerum, repetitus est, propter senariam, vel septenariam cognitionem: senariam scilicet operum, quæ fecit* DEUS; *& septenariam, quietis* DEI. Ipsissimum ipse aliter & aliàs sæpè. Ex Gentium autem, nam & illis compertum, unum proferam Aristidem, Asiaticum, licet Adrianensis, Græcorum Oratorem. Hymno in Jovem (oratione solutâ votum fuit, quod ex tempestate servatus solvit) plurima elocutus est, quæ & Heptahemero magno mirè consonant. Componere non vacat, sed isthæc nunc iniquum reticere: Ζεὺς τὰ πάντα ἐποίησε, καὶ Διός ἐστιν ἔργα

ἔργα ὅσα ἐστὶ πάντα, καὶ ποταμοὶ, καὶ γῆ, καὶ θάλαττα, καὶ οὐρανός· καὶ ὅσα τούτων μεταξὺ ἄνω, καὶ ὅσα ὑπὸ ταῦτα· καὶ θεοὶ, καὶ ἄνθρωποι, καὶ ὅσα ψυχὴν ἔχει, καὶ ὅσα εἰς ὄψιν ἀφικνεῖται, καὶ ὅσα δεῖ νοήσει λαβεῖν, &c. *Jupiter fecit omnia, & à Jove facta omnia ſunt, fluvii, Terra, Mare, Cælum; & quæcunque vel inter hæc, vel ſupra, vel infrà eadem, exiſtunt; & dii, & homines, & quæcunque animata ſunt. quæque vel viſu, vel intellectu percipiuntur*, &c. Quæ poſtquàm abundè recenſuit, ſubjicit: οὐκ ἐν ὅσῳ νῦν ἡμεῖς διήλθομεν χρόνῳ περὶ αὐτῶν, ἀποτελέσας· ἅπαντα ταῦτα, ἀλλ' ὀξύτερον ἢ νοῆσαι ἐγχωρεῖ. *Quæ quidem omnia, non tanto temporis ſpatio, quanto nos de iis nunc diſſeruimus, abſolvit; ſed multò citiùs quàm vel Cogitari poſſit.*

UT autem cunque conſtiterit res, (*Nemo quippe ſcit niſi* PATER,) Ordinem igitur illum naturalem creatarum rerum, (nam progredimur jam) quem docuit DOMINUS, à nobis mente concipi debere, retulit Moſes, quaſi ſervatum tunc, cùm conderentur. Ipſum verò Ordinem integrum contineri, ſat conſtat, Heptahemeri illius primi inluſtri ſegmento, quod deſcribitur ipſo Hiſtoriæ Sacræ primordio. Septem ergo eorum dierum Senaria Cognitio, ut cum Auguſtino loquar, ſpectat ad Opera, quæ fecit DEUS; Septenaria ad DEI

videlicet

videlicet Quietem. Moses autem tradidit nobis sic Hebdomadis primariæ eos dies esse distributos, & concinnatos, ut divelli tamen neutiquam deberent; pariterque ostendit ibidem Augustinus.

Atenim postquam Historicus Sacer quiescentem impertiit nobis DOMINUM à toto patrato opere; & Diei Septimo benedixisse, prodidit, ac sanctificasse: unde nec ignobilis relinquitur Dies ille, nec otiosus DOMINO; pergit denuò καθ' ἐπιτομὴν, *per compendium*, & summa capita, prædicta repetere, exactiusque subinde de nonnullis inquirere. Pausam istoc narrationis contextu necesse interiici, cogitarunt Interpretes: tum ut distinctionis rerum haberetur ratio, tum vel ut ipsarum pondere defessus jam Lector respiraret. Cuinam igitur, sensu jam communi prædito, possit adlubere, Alicubi gestorum Hebdomadis sectionem inserendam, ac reverâ inseruisse post Diem sextum; & reliquum fragmenticulum septimi Diei (eximium sanè, quippe quod sacram DOMINO, ac propitiam operam contineret) divulsum ab integro corpore, quod ideò truncum relinquitur, adnectere novæ illi distinctæ, ut sic dicam, recapitulationi? maximè

(quod potius eſt) cùm ibidem proximè adeſſet, ubi legitimè Diſtinctio erat locanda. Itaque, quod cohærere ſic neceſſum erat, abrumperetur importunâ diſtractione; ac vice verſâ illa conſuerentur, quæ diſcerpi magis deſiderarent. Aliter quidem non factum invenimus, quod hîc ipſummet poterit opportunè atteſtari. Ex Operibus duntaxat Diei Sexti, ſatis ſit, ut conſtet, teſtimonium producere comm. XXIV. cui Vulgatam ſubjecimus Interpretationem, exiguâ omnino mutatione juxta Hebræum Prototypon. Cujus poſtidea jugem Contextum, & Græci etiam Exemplaris, pariter diſcerpere, recentiores non addubitarunt.

Ex Capite I.

24 וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים תּוֹצֵא הָאָרֶץ נֶפֶשׁ חַיָּה לְמִינָהּ בְּהֵמָה וָרֶמֶשׂ וְחַיְתוֹ־אֶרֶץ
לְמִינָהּ וַיְהִי־כֵן׃

25 וַיַּעַשׂ אֱלֹהִים אֶת־חַיַּת הָאָרֶץ לְמִינָהּ וְאֶת־הַבְּהֵמָה לְמִינָהּ וְאֵת כָּל־רֶמֶשׂ
הָאֲדָמָה לְמִינֵהוּ וַיַּרְא אֱלֹהִים כִּי־טוֹב׃

26 וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים נַעֲשֶׂה אָדָם בְּצַלְמֵנוּ בִּדְמוּתֵנוּ וְיִרְדּוּ בִדְגַת הַיָּם וּבְעוֹף
הַשָּׁמַיִם וּבַבְּהֵמָה וּבְכָל־הָאָרֶץ וּבְכָל־הָרֶמֶשׂ הָרֹמֵשׂ עַל־הָאָרֶץ׃

27 וַיִּבְרָא אֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם בְּצַלְמוֹ בְּצֶלֶם אֱלֹהִים בָּרָא אֹתוֹ זָכָר וּנְקֵבָה
בָּרָא אֹתָם׃

28 וַיְבָרֶךְ אֹתָם אֱלֹהִים וַיֹּאמֶר לָהֶם אֱלֹהִים פְּרוּ וּרְבוּ וּמִלְאוּ אֶת־הָאָרֶץ וְכִבְשֻׁהָ
וּרְדוּ בִּדְגַת הַיָּם וּבְעוֹף הַשָּׁמַיִם וּבְכָל־חַיָּה הָרֹמֶשֶׂת עַל־הָאָרֶץ׃

29 וַיֹּאמֶר

29 וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים הִנֵּה נָתַתִּי לָכֶם אֶת־כָּל־עֵשֶׂב ׀ זֹרֵעַ זֶרַע אֲשֶׁר עַל־פְּנֵי כָל־
הָאָרֶץ וְאֶת־כָּל־הָעֵץ אֲשֶׁר־בּוֹ פְרִי־עֵץ זֹרֵעַ זָרַע לָכֶם יִהְיֶה לְאָכְלָה׃

30 וּלְכָל־חַיַּת הָאָרֶץ וּלְכָל־עוֹף הַשָּׁמַיִם וּלְכֹל ׀ רוֹמֵשׂ עַל־הָאָרֶץ אֲשֶׁר־בּוֹ נֶפֶשׁ
חַיָּה אֶת־כָּל־יֶרֶק עֵשֶׂב לְאָכְלָה וַיְהִי־כֵן׃

31 וַיַּרְא אֱלֹהִים אֶת־כָּל־אֲשֶׁר עָשָׂה וְהִנֵּה־טוֹב מְאֹד וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי־בֹקֶר יוֹם
הַשִּׁשִּׁי׃

CAPUT II.

1 וַיְכֻלּוּ הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ וְכָל־צְבָאָם׃

2 וַיְכַל אֱלֹהִים בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי מְלַאכְתּוֹ אֲשֶׁר עָשָׂה וַיִּשְׁבֹּת בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי מִכָּל־
מְלַאכְתּוֹ אֲשֶׁר עָשָׂה׃

3 וַיְבָרֶךְ אֱלֹהִים אֶת־יוֹם הַשְּׁבִיעִי וַיְקַדֵּשׁ אֹתוֹ כִּי בוֹ שָׁבַת מִכָּל־מְלַאכְתּוֹ
אֲשֶׁר־בָּרָא אֱלֹהִים לַעֲשׂוֹת׃

4 אֵלֶּה תוֹלְדוֹת הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ בְּהִבָּרְאָם בְּיוֹם עֲשׂוֹת יְהוָה אֱלֹהִים אֶרֶץ
וְשָׁמָיִם׃

5 וְכֹל ׀ שִׂיחַ הַשָּׂדֶה טֶרֶם יִהְיֶה בָאָרֶץ וְכָל־עֵשֶׂב הַשָּׂדֶה׃ &c.

24 *Et dixit* DEUS: *Producat Terra animam viventem in genere suo; jumenta, & reptilia, & bestias terræ secundùm species suas. Factumque est ita.*

25 *Et fecit* DEUS *bestias terræ juxta species suas, & jumenta, & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit* DEUS, *quod esset bonum.*

26 *Et dixit* DEUS*: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram; & præſit piſcibus Maris, & volatilibus Cæli, & beſtiis, univerſæque Terræ, omníque reptili, quod movetur in terrâ.*

27 *Et creavit* DEUS *hominem ad imaginem ſuam; ad imaginem* DEI *creavit illum; maſculum, & feminam creavit eos.*

28 *Et benedixit eis* DEUS*, & dixit ad eos* DEUS*: Creſcite, & multiplicamini, & replete Terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus Maris, & volatilibus Cæli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.*

29 *Et dixit* DEUS*: Ecce dedi vobis omnem herbam, afferentem ſemen ſuper Terram, & univerſa ligna, quæ habent in ſemet-*

metipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam.

30 *Et cunctis animantibus Terræ, & omni volucri Cœli, & univerſis, quæ moventur in Terrâ, & in quibus eſt anima vivens, ut habeant ad veſcendum. Et factum eſt ita.*

31 *Et vidit* DEUS *cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona. Et factum eſt Veſpere, & Manè, Dies Sextus.*

CAPUT II.

1 *Et perfecti ſunt Cœli, & Terra, & omnis ornatus eorum.*

2 *Et Complevit* DEUS *Die Septimo Opus ſuum, quod fecerat: & Requievit Die Septimo ab univerſo opere, quod patrarat.*

3 *Et benedixit Diei Septimo, & sanctificavit illum; quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit* DEUS, *ut faceret.*

4 *Istæ sunt Generationes Cæli, & Terræ, quando creata sunt in Die, quo fecit* DOMINUS DEUS *Cælum, & Terram:*

5 *Et omne virgultum agri, ante quàm oriretur in Terrâ, omnemque herbam Regionis*, &c. Quæ simillimâ structurâ verborum procedunt.

Verum enim verò ubi quieverat DOMINUS, qui & eidem præisse visus erat, opportunè prorsus magis Lectorem requiescere desinerent. *Dubium quippe non est*, inquit Cassiodorus in Psalmum etiam VII. *quòd peractis Sex Diebus, qui ad activam pertinent partem, Septimus Repausationi reputetur.* Quapropter & postea tot sæcula, post tot etiam exantlatos labores, DOMINUS rursus toto Die Septimo Requievit

vit in Sepulchro; Sabbatho, inquam, toto, quod ipſum quoque idiomate Hebraico *Requietionis* denominationem ſortitur. Unde licet animadvertere, qui Sexto Die Capitis Primi Sectionem locarunt, & alieno Lectorem loco Requieſcere fecerunt, Septenario Numero, referto undique myſteriis, & oraculis (quod nihil vulgò jam notius vel ex uno etiam Philone Lib. *De Mundi Opificio*, & aliis paſſim) tunc inde præripuiſſe deſtinatam ei laudem, ac decus à condito uſque Orbe: & unà Hebdomadis complementum, Septimum ſcilicet Diem, Sanctum, ac DOMINO Sacrum, à primigenio Mundi inclyto Heptahemero quaſi avellere optaſſe. Satis enim documento ſunt, licet altera abeſſent, tot Libri *Hexameri* ſcripti, *Heptameri* ſcribendi; tot inſcripti, *Opera ſex Dierum*; tot, *Commentarii in primum Caput Geneſeos:* Omnibus ſanè parùm feliciter, & nonnihil inconditè, cùm doctiſſimi ſint, elucubratis, importunâ duntaxat eorum diſtractione, quæ indubiè cohærebant. At denique ſodes, vide jam mihi, ubi noſtra interſit Digeſtio, quemadmodum genuinæ ſententiæ indoles ſua redditur.

EX CAPITE I.

24 וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים תּוֹצֵא הָאָרֶץ נֶפֶשׁ חַיָּה לְמִינָהּ בְּהֵמָה וָרֶמֶשׂ וְחַיְתוֹ־אֶרֶץ לְמִינָהּ וַיְהִי־כֵן׃

25 וַיַּעַשׂ אֱלֹהִים אֶת־חַיַּת הָאָרֶץ לְמִינָהּ וְאֶת־הַבְּהֵמָה לְמִינָהּ וְאֵת כָּל־רֶמֶשׂ הָאֲדָמָה לְמִינֵהוּ וַיַּרְא אֱלֹהִים כִּי־טוֹב׃

26 וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים נַעֲשֶׂה אָדָם בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ וְיִרְדּוּ בִדְגַת הַיָּם וּבְעוֹף הַשָּׁמַיִם וּבַבְּהֵמָה וּבְכָל־הָאָרֶץ וּבְכָל־הָרֶמֶשׂ הָרֹמֵשׂ עַל־הָאָרֶץ׃

27 וַיִּבְרָא אֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם בְּצַלְמוֹ בְּצֶלֶם אֱלֹהִים בָּרָא אֹתוֹ זָכָר וּנְקֵבָה בָּרָא אֹתָם׃

28 וַיְבָרֶךְ אֹתָם אֱלֹהִים וַיֹּאמֶר לָהֶם אֱלֹהִים פְּרוּ וּרְבוּ וּמִלְאוּ אֶת־הָאָרֶץ וְכִבְשֻׁהָ וּרְדוּ בִּדְגַת הַיָּם וּבְעוֹף הַשָּׁמַיִם וּבְכָל־חַיָּה הָרֹמֶשֶׂת עַל־הָאָרֶץ׃

29 וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים הִנֵּה נָתַתִּי לָכֶם אֶת־כָּל־עֵשֶׂב זֹרֵעַ זֶרַע אֲשֶׁר עַל־פְּנֵי כָל־הָאָרֶץ וְאֶת־כָּל־הָעֵץ אֲשֶׁר־בּוֹ פְרִי־עֵץ זֹרֵעַ זָרַע לָכֶם יִהְיֶה לְאָכְלָה׃

30 וּלְכָל־חַיַּת הָאָרֶץ וּלְכָל־עוֹף הַשָּׁמַיִם וּלְכֹל רוֹמֵשׂ עַל הָאָרֶץ אֲשֶׁר־בּוֹ נֶפֶשׁ חַיָּה אֶת־כָּל־יֶרֶק עֵשֶׂב לְאָכְלָה וַיְהִי־כֵן׃

31 וַיַּרְא אֱלֹהִים אֶת־כָּל־אֲשֶׁר עָשָׂה וְהִנֵּה־טוֹב מְאֹד וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי־בֹקֶר יוֹם הַשִּׁשִּׁי׃

32 וַיְכֻלּוּ הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ וְכָל־צְבָאָם׃

33 וַיְכַל אֱלֹהִים בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי מְלַאכְתּוֹ אֲשֶׁר עָשָׂה וַיִּשְׁבֹּת בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי מִכָּל־מְלַאכְתּוֹ אֲשֶׁר עָשָׂה׃

34 וַיְבָרֶךְ אֱלֹהִים אֶת־יוֹם הַשְּׁבִיעִי וַיְקַדֵּשׁ אֹתוֹ כִּי בוֹ שָׁבַת מִכָּל־מְלַאכְתּוֹ אֲשֶׁר־בָּרָא אֱלֹהִים לַעֲשׂוֹת׃

CAPVT II.

1 אֵלֶּה תוֹלְדוֹת הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ בְּהִבָּרְאָם בְּיוֹם עֲשׂוֹת יְהוָה אֱלֹהִים אֶרֶץ וְשָׁמָיִם׃

2 וְכֹל שִׂיחַ הַשָּׂדֶה טֶרֶם יִהְיֶה בָאָרֶץ וְכָל־עֵשֶׂב הַשָּׂדֶה &c.

24 *Et dixit* DEUS: *Producat Terra animam viventem in genere suo; jumenta, & reptilia, & bestias terræ secundùm species suas. Factumque est ita.*

25 *Et fecit* DEUS *bestias terræ juxta species suas, & jumenta, & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit* DEUS, *quod esset bonum.*

26 *Et dixit* DEUS: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram; & præsit piscibus Maris, & volatilibus Cæli, & bestiis, universæque Terræ, omníque reptili, quod movetur in terrâ.*

27 *Et creavit* DEUS *hominem ad imaginem suam; ad imaginem* DEI *creavit illum; masculum, & feminam creavit eos.*

28 *Et benedixit eis* DEUS, *& di-*

xit ad eos DEUS: *Crescite, & multiplicamini, & replete Terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus Maris, & volatilibus Cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.*

29 *Et dixit* DEUS: *Ecce dedi vobis omnem herbam, afferentem semen super Terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.*

30 *Et cunctis animantibus Terræ, & omni volucri Cæli, & universis, quæ moventur in Terrâ, & in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum. Et factum est ita.*

31 *Et vidit* DEUS *cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona. Et factum est Vesperè, & Manè, Dies Sextus.*

32 *Et perfecti sunt Cæli, & Terra, & omnis ornatus eorum.*

33 *Et Complevit* DEUS *Die Septimo Opus suum, quod fecerat: & Requievit Die Septimo ab universo opere, quod patrarat.*

34 *Et benedixit Diei Septimo, & sanctificavit illum; quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit* DEUS, *ut faceret.*

CAPUT II.

1 *Istæ sunt Generationes Cæli, & Terræ, quando creata sunt in Die, quo fecit* DOMINUS DEUS *Cælum, & Terram:*

2 *Et omne virgultum agri, ante quàm oriretur in Terrâ, omnemque herbam Regionis*, &c. Quæ ἀνακεφαλαιωτικῶς iterantur.

UBI enim vel ipſa textura verborum, quam exhibet Protographum Hebræum; Ejuſdemque planè Commata ſuggerunt, aurem cuilibet velleret. Inde & nos hîc expreſſimus. Ut tamen apertiùs adhuc conſtet, quàm immeritò actum ſit cum exordio illo Septem Dierum Univerſi, curatiùs juvat rimari abdita nobis ejuſdem rudimenta. Sed anteriùs non nulla in præſentiâ præmittimus, quæ Effatorum quorundam noſtrorum vicem commodè obire queant.

PRIMUM eſt, Bifariàm nos dividere Diem cum Gemino: Ἡμέρα, inquit, λέγεται διχῶς· καθ' ἕνα μὲν τρόπον χρόνος ὁ ἀπὸ ἀνατολῆς ἡλίου μέχρι δύσεως. καθ' ἕτερον δὲ τρόπον ἡμέρα λέγεται χρόνος ὁ ἀφ' ἡλίου ἀνατολῆς μέχρις ἡλίου αὖθις ἀνατολῆς. *Dies dicitur dupliciter, uno modo tempus illud, quod eſt ab ortu Solis uſque ad Occaſum: altero modo, Dies dicitur tempus, quod eſt ab Ortu Solis uſque ad proximum Solis Ortum.* Diem illum *Artificialem* equidem appello, aut *Civilem;* homines enim comminiſci, ac diſtribuere illum ita ad uſus videntur: Hunc *Naturalem* XXIV. horarum, definiente ipſâ Naturâ integrum ſpatium Diei, ac Noctis. Nihilominus acceptione illarum appellationum nimis variant Eruditi.

DEIN-

DEINDE, Tum primùm, nimirum *In principio*, creasse DEVM ipsissimo Meridie integrum Orbem. & meritò: præcipua illa Pars habetur Diei, Lucísque. Lux enim tunc, & Dies vigent, ac pollent. Itaque aptè omnino à mero isto Meridie ordiri sit Diem ipsum Naturalem; non, ut Geminus, ab Ortu Solis. Ita præcepit DOMINVS Levitici Capit. XXIII. comm. XXXII. מערב, *A Vesperâ usque ad Vesperam celebrabitis Sabbata vestra.* Et firmant illa Mosis: *Factum est Vesperè, & Manè Dies unus; Et factum est Vesperè, & Manè Dies secundus; Et factum est Vesperè, & Manè Dies tertius.* & sic ceteri. nam Vesperam à Meridie incipere, paullò post ostendimus. Præstat item & ipsus Meridies rationibus Astronomicis. Luculenter id edocet Georgius Chrysococces Medicus apud me MS. Exposit. in Constructionem Persar. ad fratrem Charsianiten. ecce ejus verba ex Cap. II. perperàm eruditus Leo Allatius XX. designat: Οἱ Ἀστρονόμοι τὴν ἀρχὴν τοῦ Νυχθημέρου ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τοῦ μέσου τῆς ἡμέρας κρατοῦσι. Διὰ τοῦτο καὶ οἱ ψῆφοι τῶν ἀστέρων εἰς τὸ μέσον ἐτέθησαν τῆς ἡμέρας. Εἰ γὰρ κατὰ τὴν ἀρχὴν, ἐπεὶ ἡ ἡμέρα αὔξεται, καὶ μειοῦται, οὐκ ἔμελλεν εἶναι τὴν ψῆφον ὀρθόν. *Astronomi initium* Νυχθημέρου [spatii scilicet ex *Nocte* & *Die* conflati, id est, revolutionis integræ vigintiquatuor ho-

rarum] *capiunt à Medii Diei exordio. Propter hoc etiam Astrorum calculos in Meridie posuerunt. Si enim in Diei initio locati fuissent, quoniam Dies augentur, & minuuntur, calculi non fuissent recti.* Utrunque quidem patefacit, Et Meridiem præferri, Et ab ipso Astronomicum νυχθήμερον ducere exordium. Eapropter placuit etiam non paucis isthæc Diei definitio. nam cùm Populo DEI primitùs fuisset tradita, servata deinceps fuit, uti Populis quibusdam aliis, & eorum posteris. Sic in usu *Ægyptios* habuisse, Plinio tamen invito, referunt prisci nonnulli, & hodierni Astronomi. *Umbri* quoque prætulêre, teste Varrone in Libro illo *Rerum Humanarum*, quem *De Diebus* scripsit. Unde, puto, Censorinus deprompsit Cap. XXIII. *De Die Natali*; ut Agellius Cap. II. Lib. III. *Noct. Attic.* Et ab his parùm secedunt, immo fors idem subindicant, qui Diei antetulêre Noctem, potissimámque partem cogitarunt νυχθημέρου. *Gallos* ita observasse, tradidit Cæsar Lib. VI. *De Bello Civ.* Cap. XVIII. *Ob eam caussam spatia omnis temporis, non numero Dierum, sed Noctium, finiunt. & Dies Natales, & Mensium, & Annorum initia sic observant, ut Noctem Dies subsequatur.* Hocce est, primam numerare Noctem: quod, *Nox ducere Diem videtur,*

tur, dixit Tacitus, cùm idemmet tribuit *Germanis* in *De Morib. Germ.* Quæ pravè à nonnullis accepta. A Druydis ipsi habuêre, qui arcanâ doctrinâ innuerunt, Tenebras tempore prorsus fuisse priores. Moses ait initio Operis Sacri Comm. 11. & sæpè in compagine illâ Dierum Heptahemeri, ut nunc proximè visum. Sed mirum herclè! nec latuit Poëtis illis, quorum Poëmatia nequaquam præ se ferunt abditam Philosophiam. Aristophanes in Avibus pariter agnovit Noctem Primigeniam, Tenebras scilicet, Tartarum, Erebum:

Χάος ἦν, καὶ Νὺξ, Ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον,
καὶ Τάρταρος εὐρύς.

Chaos erat, & Nox, Erebusque niger primùm,
& Tartarus obscurus.

Unde Arato in Phænomenis Νὺξ ἀρχαίη dicitur; *Nox antiqua*:

Ἀλλ' ἄρα καὶ περὶ κεῖνο θυτήριον ἀρχαίη Νύξ.

Sed postquam & illic posuit thuribulum Antiqua
Nox.

Ceterùm certo certius est, Noctem confundere cum Vesperâ, quam, apud Mosem repererant Sapientes illi Viri, auspicari Diem: neutiquam tamen animadverterunt, Vesperam eam à Meridie initium ducere. Immò nihil aliud

aliud existimavêre, si attentiùs rem inspicimus, sive *Vesperam*, sive *Noctem* vocarent. Palàm facit Chrysococces, Dum *Noctem* Νυχθημέρου à Medio Die profert inchoari.. οἱ Ἀστρονόμοι, inquit, τὴν ἀρχὴν τοῦ Νυχθημέρου ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τοῦ μέσου τῆς ἡμέρας κρατοῦσι. *Astronomi initium* Νυχθημέρου *capiunt à Medii Diei exordio.* Et vox ipsa Hebræa moneret haut egrè. ערב *Hereb* dicitur *Vespera* à verbo *Harab*, quod *ligare* significat, *cingere*, ac *coërcere.* Notio verò hæc Meridiei aptè convenit, neutiquam ita cuilibet tempori pomeridiano, Sive Noctis sit, Sive ejus crepusculi, hoc est, spatii inter Solis occasum, & Noctis tenebras, Sive quarumlibet horarum crepusculo proximè præcedentium, pro quibus usurpari *Vesperam* alicubi offendimus. Ligare enim, coërcere, complectíque videtur Meridies reliquum tempus usque ad Noctem mediam. Nec secus vel Meridianus Circulus constringit, ligátque totam Sphæram Cælestem, mechanicámve.

Præterea & *Vesperæ* omnibus sunt, quibuscum turbellæ istæ utcunque pacatentur. Ecce verba DOMINI ex Cap. XII. *Exodi* comm. VI. de agni Paschalis immolatione loquentis:

Et immolabunt èum omnis cœtus synagogæ Israël inter Duas Vesperas. τὸ μεταξὺ δύο ἑσπέραιν, ἤτοι ὀψίαιν, Græci.

Græci. Notum eſt, Judæis pariter ac Gentibus Diem illum, quem diximus *Civilem*, olim dividi in XII. horas æquales. DOMINUS etiam apud Joannem Cap. XI. comm. IX. οὐχὶ δώδεκα ὧραί εἰσιν τῆς ἡμέρας; *Nonne duodecim horæ ſunt Diei?* Nunc ergo expeditiſſimè omnium R. Kimchium accipimus, utranque Veſperam terminis definire. Primò in univerſum denotans, quando incipit Veſpertina tempeſtas, Libro Radicum ſcribit: *A tempore inclinationis Solis ad Occidentem, quod eſt à ſexta hora, & ulterius uſque ad Noctem* &c. Ubi probè Joan. Buxtorfius per *ſextam* intelligit, *ſextam Diei Judaici, hoc eſt, ipſam Meridiem.* Progreditur & Kimchius Veſperam geminam deſcribere. *A tempore*, ait, *quando Sol incipit declinare, ea eſt Veſpera una.* ab ipſiſſimo nempè Meridie, ut liquet ex dictis ejuſdem. *Poſt Occaſum Solis, eſt Veſpera altera. Inter hoc tempus eſt illud, de quo dicitur,* בֵּין הָעַרְבַּיִם, *inter duas Veſperas.* Sanè qui hinc deviant, incaſſum prorſus verberant aëra. unde & aliàs ſæpè inluſtrari, pronum jam erit, Sacrum Codicem. Numeror. Cap. XXVIII. comm. IV. cùm ſermo eſt de duobus agnis jugis Sacrificii. אֶת־הַכֶּבֶשׂ אֶחָד תַּעֲשֶׂה בַבֹּקֶר וְאֵת הַכֶּבֶשׂ הַשֵּׁנִי תַּעֲשֶׂה בֵּין הָעַרְבָּיִם׃ *Agnum unum offeretis Manè, & agnum ſecundum inter duas Veſperas.* Ubi diffunduntur He-

braici Magiſtri, & Doctores in *Gemara*, ibique Gloſſa R. Salemonis, & Maiemon Tractatu תמיד *De Sacrificio jugi* Cap. 1. Et conligere ex omnibus eſt, Per ſextam horam exactam Meridiem intelligi, & exinde aſſignari Veſperam. hoc eſt, ineunte horâ ſeptimâ.

Atenim ſi *Veſperè* illud à Medio Die capit exordium, uti cepiſſe haut dubium eſt; *Manè* quoque à Mediâ Nocte pariter exordiri, indubium: Ab illo quippe puncto incipit Veſpera delábi, veluti Manè adſurgere ab altero. Indicio ſint vel vigiles illi nocturni, quos excitandis in opera mortalibus Natura genuit, *cùm medio Noctis gallicinio Diem venientem nunciant.* Id *Manè* Hebræis שחר *Aurora* dicitur etiam; & ideò ſcilicet *aſcendere*, quia à Mediâ uſque Nocte. Jacob ad Angelum Athletam Geneſ. Capit. XXXII. commate XXVI. שַׁלְּחֵנִי כִּי עָלָה הַשָּׁחַר. *Dimitte me, quia Aſcendit Aurora.* Et Cap. XIX. commate XV. וּכְמוֹ הַשַּׁחַר עָלָה *Et cùm ipſa Aurora Aſcendiſſet.* Ac Vulgatus Latinus id Cant. Cap. VI. comm. IX. הַנִּשְׁקָפָה כְּמוֹ־שָׁחַר, reddidit: *Quaſi Aurora Conſurgens.* Immò שחר à *nigrore* vocatam, obſervat ex Magiſtris Hebræis Buxtorfius, *qui Eam comitatur:* Aſt caliginem intelligi, ego etiam obſervo, quæ comitatur nempè Auroram ante primum

mum diluculum; aliunde ei non accesserit.

Tinctam ecce colore Noctis, mirum etiam hoc! jam Auroram habemus; sed mirum est ampliùs, quod restat: Dabimus Eam Nocti sequenti vicinam. Egregius locus Nonni est in Paraphrasi Sancti Euangelii secundum Joannem, qui paucis verbis firmat totam constitutionem nostram Diei Naturalis. Aliter verò si acceperis, ejus sententia non constet. Agit de feriâ illa sextâ, qua CRUCI affixus DOMINUS, quod Cap. XIX. Joannes exactiùs depingit, & factum id prodidit horâ tertiâ cum Marco Cap. XV. comm. XXV. Paraphrastes, quod horâ sextâ ejus Euangelista: putavit namque ille, Joannem annumerare Diem, cùm de Diei horâ loquutus. Itaque *Auroram sextam* Poëta posuit, pro toto illo Die sexto non incommodè; unáque, ut apertiùs notaret, appellavit προσάββατον. sic vers. LXV. priùs ait:

Ἕκτη δ' ἦν ὀνέπουσι προσάββατον ἔπλετο ἠώς.

Sexta autem Aurora erat, quam dicunt antesabbatum.

Dein extremo Capite, cùm tradit ad Sepulcrum delatum DOMINUM fuisse, ut horâ sextâ id insinuaret gestum, tandem subjunxit:

Γείτονα νύκτα φέρουσα προσάββατος ἔτρεχεν ἠώς.

Aurora ante Sabbatum cucurrit, ferens vicinam Noctem.

Ubi τῇ ἠοῖ, sive illâ *Aurorâ*, & horam sextam, & feriam subindicat; subdens videlicet, Et Eammet accersisse Vicinam Noctem, hoc est, Sabbati jam instantis Meridianam Vesperam: quam eâdem donavit, ac Aratus suprà, & Aristophanes, appellatione. Non vidit tamen ejusdem Aristarchus. Quapropter, licet sacrum se vocarit, egit injurium.

TERTIUM Effatum sit, Magis eorum mihi probari sententiam, Puncto temporis adstruentium (eò namque redimus) universum Orbem constructum. Prolixa utique disputatio est, quam alibi forsitàn persequemur. Plures interea hinc sedantur dividiæ, quæ Viris doctissimis jampridem negotium facessêre. Ita enim planè, Tempus, & ejus efficiens Caussa, unde originem ducit, hoc est, Motus Cæli, aut Luminarium, unà, quod necessum prorsus (ut infra attingimus) ortum habuêre. Alioquin & posset alicubi excogitari mensura Temporis, nondum Auctore ejusdem mensuræ adhuc producto. Item, desinent demum cruciari Interpretes, dum Lucem offendunt primo die exor-

exortam; Fontem tamen ejus, Luminare nempe Majus, quarto die confectum. Item, parùm sic obsit, quod præcipuum discrimen est; ea rerum creatarum confusio, & conturbatio, quæ committi videtur Sacro Scriptori, cùm earundem narrat opificium. Aliter enim inversio illa fabricæ regularis consistere nequiret, & sibi non constaret naturalis rerum series, quam observari necessum erat, cùm construeretur Opus eximium. Næ locus non est in instanti, corpusculo individuo, distributioni rerum regulari, aut inregulari. Omnia tunc simul prodeunt, nequaquam altera præcedit alteri. Quapropter Moses parùm subinde cogitavit de servando illo ordine; potiùs datâ operâ, conjicere est, confundere cupivisse. ubi & paullulùm nos lubet immorari.

TRIBUTUM ille præbet nobis Universum in *Cælum*, & *Terram*. Nonnulla & separatim ad *Aquam* pertinentia insuper addidit, quanquàm satis constans sit, & Ipsemet indicet, In Terrâ Aquam contineri, utramque unum Globum conficere, mutuóque inter se, ac certatim commeare duo illa Elementa. Nequit tamen quisque satis animo assequi, Ut Ipse adeò confundat, atque permisceat diversa

illa, quæ ad eas partes Orbis bifariàm referuntur: paſsímque præbeat ſe eâdem nimirum prudenti, ac ſtudioſâ confuſione præpeditum. Eapropter equidem ratus ineptè prorſus non ſum, in proprias claſſes diſtinguere, in præſentia oportere: magis adhuc ut ſic liqueret perſpicuè, Phyſicæ illius fabricæ, ac per partium ſucceſſionem, neutiquàm Hiſtoriam ibidem tradi: immò reſpectu prorſus diverſo, Heptameri magni proſequi narrationem divinum Chronographum. Quidquid ingentis Operis ad quamque Partem ſpectat, ex ſingulis Septem Dierum hauſimus, & eidem adneximus, additis ſimul Verſiculorum, aut Commatum numeris, qui & conducere videntur.

INITIUM
HISTORIÆ SACRÆ
SECUNDUM MOSEM.

CAPUT I.
DE MUNDI CREATIONE.

*[1] IN PRINCIPIO CREAVIT DIES.
DEUS CÆLUM, ET TERRAM. I

[CÆLUM.]

*[6] ET DIXIT DEUS: *Fiat* II
Firmamentum in medio aquarum, & divi-
dat aquas ab aquis. [7] *Et fecit* DEUS
Firmamentum, diviſitque aquas, quæ erant
ſub Firmamento, ab his, quæ erant ſuper
Firmamentum. [8] *Vocavítque* DEUS
Firmamentum CAELUM. *[3] *Et dixit*
DEUS: *Fiat Lux, & facta eſt Lux.*
[4] *Et diviſit Lucem à Tenebris:* [5] *appellavít-*
que Lucem Diem, & Tenebras Noctem.
*[14] *Dixit*

IV *[14] *Dixit autem* DEUS: *Fiant Lumi-*
naria in Firmamento Cæli: & fecit DEUS
duo Luminaria magna, Luminare majus,
ut præesset Diei; Luminare minus, ut præes-
set Nocti: [15] *ut luceant in Firmamento Cæ-*
li, & inluminent Terram; [14] *& dividant*
Diem, ac Noctem; & sint in signa, & Tem-
pora, & Dies, & Annos. [16] *Fecítque*
DEUS *& Stellas,* [17] *& posuit eas in*
Firmamento Cæli, ut lucerent super Ter-
ram, [18] *& præessent Diei, ac Nocti; & di-*
viderent Lucem, ac Tenebras.

[Ubi & AQVA continetur.]

[TERRA.]

I *[2] TERRA *autem erat inanis, &*
III *vacua.* *[9] *Dixit verò* DEUS: *Congregen-*
tur aquæ, quæ sub Cælo sunt, in locum unum,
& appareat Arida. Et factum est ita.
[10] *Et vocavit* DEUS *aridam, Terram.*
[11] *Et*

[11] *Et ait: Germinet Terra herbam virentem,*
& facientem ſemen; & lignum pomiferum,
faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſe-
men in ſemetipſo ſit ſuper Terram. [12] *Et pro-*
tulit Terra herbam virentem, & facientem
ſemen juxta genus ſuum; lignúmque faciens
fructum, & habens unumquodque ſemen-
tem ſecundùm ſpeciem ſuam. [*24] *Dixit quo-* VI
que DEUS: *Producat Terra animam*
viventem in genere ſuo, jumenta, & repti-
lia, & beſtias Terræ ſecundùm ſpecies ſuas.
[25] *Et fecit* DEUS *beſtias Terræ juxta*
ſpecies ſuas, & jumenta; & omne reptile
Terræ in genere ſuo. [*22] *Et Aves multipli-* V
centur ſuper Terram. [*26] *Et* DEUS *ait:* VI
Faciamus Hominem ad imaginem, & ſimi-
litudinem noſtram; & præſit beſtiis, univer-
ſæque Terræ, omníque reptili, quod move-

tur in Terrâ. [27] *Et creavit* DEUS *Hominem ad imaginem suam, &c.* [28] *Et ait: Crescite, & multiplicamini, & replete Terram, & subjicite eam, &c.* [29] *Et dixit* DEUS: *Ecce dedi vobis omnem herbam, afferentem semen super Terram, &c. ut sint vobis in escam:* [30] *Et cunctis animantibus Terræ, omníque volucri Cæli; & universis, quæ moventur in Terrâ, &c.*

I [Isthæc ad AQVAM spectant] *[2] *Et tenebræ erant super faciem abyssi, & Spiritus* DEI *ferebatur super Aquas.*
II *[6] *Dixit quoque* DEUS: *Fiat Firmamentum in medio Aquarum, & dividat Aquas ab Aquis.* [7] *Et fecit* DEUS *Firmamentum, divisítq; Aquas, quæ erant sub Firmamento ab his, quæ erant super Firmamentum.*
III *[9] *Dixit verò* DEUS: *Congregentur Aquæ, quæ sub Cælo sunt, in locum*

cum

*cum unum. Et congregationes Aquarum
appellavit Maria.** [20] *Dixit etiam* DEUS: V
*Producant Aquæ Reptile animæ viventis,
& Volatile super terram sub Firmamento
Cœli.* [21] *Et creavit* DEUS *cete gran-
dia, & omnem animam viventem, atque
motabilem, quam produxerant Aquæ in
species suas; & omne volatile secundùm ge-
nus suum.* [22] *Et benedixit eis dicens: Cre-
scite, & multiplicamini, & replete Aquas
Maris.* *[26] *Et homo præsit piscibus Ma-* VI
ris, & volatilibus Cœli. [28] *Et dixit Homi-
ni, masculo, & feminæ: Dominamini Pisci-
bus Maris, & Volatilibus Cœli. Et fa-
ctum est Vesperè & Manè Dies Sextus.*
*[32] *Et perfecti sunt Cœli, & Terra, &* VII
omnis ornatus eorum. [33] *Et Complevit*
DEUS *Die Septimo Opus suum, quod*
 fece-

fecerat: Et Requievit Die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrarat. Et Benedixit Diei ſeptimo, & Sanctificavit illum; quia in ipſo Ceſſaverat ab omni opere ſuo, quod creavit DEUS, *ut faceret.*

TIBICINE iſtis opus non eſt, ſatis per ſe ſonant: nonnullis tamen facem præferimus, noſtramque denuò ſtabilimus Sententiam. Primis verbis, IN PRINCIPIO CREAVIT DEUS CÆLUM, ET TERRAM, omnia complexus Scriptor Sacer: eis nanque ſumma coacta eſt totius Creationis, atque eorum omnium, quæ mox ſingillatim explicantur. quod profitentur vel ipſi jam, qui Sex Dierum intervallum mordicùs tenent; planè quippe dicta ſunt ſimplici, rectâ, & hiſtoricâ narratione: quæ verò ſequuntur, ratione videntur interpretamenti prolata; ſcilicet ut Moſes indicaret, quot abdita continerentur myſteria exiguâ oratione; & quot miranda, & ſtupenda opera Artificis DEI complecterentur Cælum, & Terra. eóque, quòd rudem populum erudiret, pandere apertiùs oportebat. *Moſes in deſcribendo Mundi Opi-*

di Opificio, Procopii Gazæi Placitum est, sive ἀξίωμα, Comment. in Octateuch. *Sex Dierum usus est distinctione, docendi gratiâ, ob tarditatem videlicet, ruditatémque Iudæorum*: IPSE NANQUE SIMUL CUNCTA FECERAT.

PRINCIPIUM id est IN PRINCIPIO, interprete Basilio Magno Homil. I. in Hexaëm. quem & Philoponus refert Lib. I. *De Mundi Creat.* Cap. III. Τὸ πρῶτον τοῦ χρόνου νῦν est, ἐν ᾧ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν παρήγαγεν ὁ Θεὸς, παντὸς χρονικοῦ χωρὶς διαστήματος. *Primum Temporis Instans est, in quo* DEUS *Cælum, & Terram produxit, absque ullo temporaneo intervallo.* Aquila vertit: Ἐν κεφαλαίῳ ἔκτισεν ὁ Θεὸς σὺν τὸν οὐρανὸν, σὺν τὴν γῆν. *In Capite creavit* DEUS *simul Cælum, simul Terram.* Quod ut exponeret etiam Philoponus, explosâ nonneminis sententiâ, subjungit: Ἐμοὶ δὲ δοκεῖ μᾶλλον σημαντικὸν εἶναι, τοῦ συνῃρημένως ὁμοῦ γενέσθαι οὐρανόν τε καὶ γῆν. οὐ γὰρ τὸ μὲν αὐτῶν πρῶτον, τὸ δὲ δεύτερον ἐποίησεν ὁ Θεός. Κεφάλαιον γὰρ καλεῖν εἰώθαμεν τὴν ἐν ἑνὶ πολλῶν ἅμα συναίρεσιν. *Mihi autem videtur magis significare, Conjunctim simul factum esse Cælum, & Terram; si quidem istorum non illud quidem primum, hoc verò secundum* DEUS *fecit. Caput enim vocare solemus, multorum in uno simul collectionem.* Haut aliter quam benè, quod exemplis confirmat. Hebraïcè enim ראשית rescith

ſcith eſt *Principium*, nomen à *Capite* deductum, ideóque ibidem poſitum. quapropter & Philoponus ſubjicit: τὸ μὲν γὰρ, Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, οὐχ οὕτως εἶχεν ἐναργῆ, τὸ ἅμα γενέσθαι τὰ δύο, τὴν δήλωσιν. τὸ δὲ ἐν κεφαλαίῳ σὺν τὸν οὐρανὸν, σὺν τὴν γῆν· τὸ μὴ ἕτερον τοῦ ἑτέρου προηγήσασθαι δείκνυσι. *Nam illud: In principio creavit* D E V S *Cælum*, *& Terram*, *non tam perſpicuè declarat*, *Utrunque ſimul facta eſſe. Hoc autem*: *In Capite ſimul Cælum*, *ſimul Terram*, *declarat*, *Alterum non præceſſiſſe alterum.*

Utrunque item ſimul etiam cum Tempore ipſo creata eſſe, ipſa indicant verba. Præpoſitio enim *in* apud Hebræos ſæpenumerò ſignificat, *cum*. Ita, *Prævaluit David contra Philiſthæum in fundâ*, *&* *lapide*; hoc eſt, *cum fundâ*, *& lapide.* Ita & illud Deuteronomii Cap. XVIII. Λιθοβολήσετε αὐτοὺς ἐν λίθοις, *Lapidabitis eos in lapidibus.* Rectè igitur IN PRINCIPIO, id eſt, Cum primo Temporis Inſtanti, Auctore Baſilio, *creavit* D E V S *Cælum*, *& Terram*, Orbem, inquam, Univerſum. alirer quidem & Tempus ipſum conſtare non poſſet. Sat opportunè ad rem Philo Lib. *Quòd* D E V S *ſit immutabilis*: Πατὴρ δὲ χρόνου κόσμος, τὴν κίνησιν αὐτοῦ γένεσιν ἀποφήνας ἐκείνου. *Mundus verò eſt Temporis pater*, *quod motu ſuo progenerat.* Atenim Punctum illud Temporis,

potis, IN PRINCIPIO designatum, Meridianum igitur est, Sabbati initium, uti anteriùs adstructum.

CREASSE CÆLVM, inquit, & TERRAM. Ubi bifariàm divisum suppeditat nobis Mundum Universum: in Regionem nempè Cælestem, & Elementarem. Cui etiam ancillantur Gentium Sophi, dum rem, inquam, diffusam adeò, ac dissipatam cogunt, ac redigunt. Anima inlustris: *TERRA & pars est Mundi, & materia. Pars quare sit, non puto, te interrogaturum; aut æquè interroges, quare CAELVM pars sit: quia scilicet non magis sine hoc, quàm sine illâ Universum esse potest, quod cum His Universum est.* Τῷ CÆLVM igitur exertim amplissima tota *illa Regio Cælestis* indicatur, *quæ per triginta annos*, adhuc Vir Maximus loquitur, *velocißimo Sideri viam præstat, nusquam resistenti, sed æqualiter cito.* Etenim & τῷ TERRAM pariter exprimitur tota Regio Elementaris. nam ὥστε κἂν μηδὲν, sic & nunc erudit nos Basilius eâdem Homiliâ, εἴπῃ περὶ τῶν στοιχείων, πυρὸς, καὶ ὕδατος, καὶ ἀέρος, ἀλλὰ σὺ τῇ παρὰ σαυτοῦ συνέσει νόει. *etiam si nihil hîc de ceteris dixerit Elementis, Igne, inquam, Aquâ, atque Aëre, tu tamen solerti tuo ingenio capere velis.* Ejúsque reddit rationem: Καὶ ἐν γῇ εὑρήσεις καὶ ὕδωρ, καὶ ἀέρα, καὶ πῦρ,

εἴγε

εἴγε ἐκ λίθων μὲν πῦρ ἐξάλλεται, ἐκ σιδήρου δὲ, ὃς καὶ αὐτὸς ἀπὸ γῆς ἔχει τὴν γένεσιν, πῦρ ἄφθονον ἐν ταῖς παρατρίψεσι πέφυκεν ἀπολάμπειν. ὃ καὶ θαυμάσαι ἄξιον, πῶς ἐν μὲν τοῖς σώμασιν ὑπάρχον τὸ πῦρ, ἀβλαβῶς ἐμφωλεύει· προκληθὲν δὲ ἐπὶ τὸ ἔξω δαπανητικόν ἐστι τῶν φυλασσόντων τέως· τὴν δὲ τοῦ ὕδατος συνυπάρχουσαν τῇ γῇ οἱ φρεωρύχοι δεικνύουσι· καὶ τὴν τοῦ ἀέρος οἱ ἀπὸ νενοτισμένης αὐτῆς ἀτμοὶ ὑπὸ ἡλίου θαλφθείσης ἀναπεμπόμενοι. Id est, Argyropylo interprete: *Atque adeò in Terrâ Aquam, Aërem, & Ignem invenies: siquidem tam è silice, quàm è ferro, quæ suam originem è Terrâ trahunt, Ignis exilit, ac frictionibus copiosis emergens elucet. Ubi dignum id est etiam admiratione, quónam pacto cùm in ipsis corporibus innoxius latitet Ignis, idem, cùm egressus fuerit, ipsa quoque absumat, à quibus eatenus servatus est? Aquæ verò naturam ipsi insitam esse Terræ, ii demonstrant, qui puteos effodiunt; & Aëris item naturam eidem Terræ inesse, ipsi vapores, quos ab humectatâ Terrâ Sole tepefactâ resultare, sursúmque ferri, conspicimus.*

Aliter item & dispescimus Orbem ex verbis ipsis: IN PRINCIPIO CREAVIT DEUS CÆLUM, ET TERRAM. Nam loco τοῦ CÆLUM, השמים *samaim* Hebræus habet, quæ vox CÆLOS sonat. nam *Tres Cæli* in Sacris Litteris agnoscuntur, qui & hîc denotantur: *Infimum*

mum videlicet, *Medium*, & *Supremum*. *Infimum* complectitur omnes Regiones *Aëris*, quod & Eucherio *Cælum Aëreum* nuncupatur; aliis, uti contingit immutari, *serenum*, *sudum*, *pluvium*, &c. Eóque includitur etiam, si quid *Ignis* interest Elementare adusque Cælum Secundum. Quod & *Medium* audit, Planetis conspersum, Stellis consitum. Tertium denique, & *Supremum* vocatum, DIVINÆ ESSENTIÆ Solium, splendore inextinguibili coruscum. Id Psalmographus *Cælum Cælorum* appellat, quò & Paullus delatus, cùm in Tertium Cælum dicitur. Itaque reliquum jam est geminum solùm Elementum, Terra, & Aqua; quæ compingi uno globo, graphicè apud Strabonem exhibentur Lib. 11. ὑποκείσθω δὴ σφαιροειδὴς ἡ γῆ σὺν τῇ θαλάττῃ, μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ἐπιφάνειαν ἔχουσα τοῖς πελάγεσι. *Hoc ergo concessum sit, Terram globum esse cum Mari, & eandem cum æquoribus superficiem habere.* Mirè etiam conspirant & naturæ cognatione, in unúmque conferuntur. Sic rursus, aut tertiò, Philosophus Hispanus: *Vtraque cognata res est, utraque gravis, utraque densa, utraque in extremum Mundi compulsa. Ex Aquâ Terra fit, pariter Aqua fiat è Terra* Aptè ergo Terrâ Mare continetur, & nos supra tetigimus Dissertatione Pa-

radoxicâ: Liquebítque jam plenè, paucis illis primoribus verbis haut expressum invitè, Integrum Orbis Opificium omnibus esse numeris confectum; eíque parùm Hexaëmero opus habuisse Mosem, nisi quid aliud sacrum abdere cupivisset.

Qui verò, In principio, interpretantur, *In Primam veluti Particulam ingentis extruendæ Molis* (τὸ πρῶτον, inquiunt, κατασκευάσματος μόριον) *fecisse* Devm *Cælum, & Terram*: Eáque jecisse ἀρχὴν scilicet τῶν γινομένων, καὶ οἱονεὶ θεμέλιον. id est, *principium, & quasi fundamentum rerum creatarum; quemadmodum* οἱ θεμέλιοι τῆς οἰκίας, καὶ τῆς νεὼς ἡ τρόπις, ἀρχὴ, *Fundamenta* sunt *principium domus, carina navis*, ut ait Philoponus etiam, & respuit: haut secus ac mortalem opificem, Deum summum fecerunt construendo Orbi studium & operam navasse. Istis & adscribendi, qui Materiam Primam, & informem pariter commenti sunt, *Cælum* illud, & *Terram* extitisse *In principio* producta: Item, qui Massam corpoream, & materiem rudem fabricæ immensæ: Item, qui rerum Substantiam, absentivæ tamen cùm adhuc forent formarum species, quod ægrè nedum mente consistat. Cuncti sanè illi in eo omnes nervos contendêre, Ut Præpotens præ-

præstiterint nobis NUMEN per successionem rerum, ac dierum intervalla, divino consilio undique intentum Operi coagmentando, atq; compingendo; perinde ac Artifex quidam è vulgo quiret μηχανικός. adeò ut ad triplicem jam operationem parùm comiter nonnulli devenerint: hoc est, per gradus sensim transgressum DOMINUM, quousque egregiam complevisset molitionem. Ceterùm posteà dum ipsi aliàs ad se redire conantur, nescio an potiùs illud sit à se infeliciùs exire. Excogitant nempe, ut ex operibus quoque illis palàm jam fieret Summa Potentia, Opus cujusque Diei & puncto temporis fuisse perfectum: Cùm comminisci aliud non posset, quod Virtuti illi Infinitæ adversaretur ampliùs; Illi, puta, quæ actuosa admodùm est, & ab agendo nunquam cessat, ut Mystæ nostri Θεολογούμενοι docent. Sex duntaxat instantibus impensis Opificio, Operosissimum Illum, atque Animosum Architectum, in regros sex dies otio inertem exhibent nobis, Opere adhuc scilicet imperfecto. *Rusticanæ igitur fatuitatis, ac stultitiæ prorsus est putare, Sex diebus, aut utique certo quolibet tempore, Mundum extructum fuisse*, rectè possumus cum Philone proferre. Lib. 1. Leg. Allegor. ait: Εὔηθες πάνυ τὸ οἴεσθαι ἓξ ἡμέραις, ἢ καθόλου χρόνῳ, κόσμον γεγονέναι.

Ex dictis ergo, ut vela jam colligam, denique colligere est, Medii puncto Diei conditum simul Universum: Et à Meridie eo initium duxisse νυχθήμερον primum, hoc est, Diem Naturalem integrum vigintiquatuor horarum: Ac demùm Punctum illud Meridianum Primum, quo constructus Orbis, Sabbati scilicet fuisse, id est, Septimi Diei Hebdomadis, ut computari debet. Addimúsque, In ipso requievisse DOMINUM à patrato Opere, & Sanctum illud fecisse. Opera autem addidit subinde Historicus Sacer Sex dierum, quasi in illis confecta, documento nempè rerum plurimarum, in primis verò ut instrueret mortales, Heptameri sex dies destinari operibus; Septimum porrò futurum DEO sacrum, laudibúsque EIUS, & Sacrificiis impendendum: unáque quiret eo genus hominum à laboribus refici.

His itaque, & ut fateri licet, rectè constitutis, satisfieri & ita præterea illi etiam, observo, quod repugnare haut obscurè videbatur Sabbati Dominicæ requietioni. Quem obicem, puto, adhuc dissimulare plurimùm Interpretes, ac prætergredi: qui non item, parùm præstare. Septimum enim Totum Diem ab Opere non

re non vacasse DOMINUM, impunè quisque non ambigat; illud quippe prodi verbis Contextus Sacri, convenit inter omnes. Nihilominus subjici ecce ista comperimus ex Hebraïco fonte Cap. II. comm. II. וַיְכַל אֱלֹהִים בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי מְלַאכְתּוֹ אֲשֶׁר עָשָׂה *Et. Complevit DEUS Die Septimo Opus suum, quod fecerat.* Quæ satis, ut sonant ipsa, cum prædictis non consonant: Operam namque navasse, perhibent haut obliquè, Conditorem ipsum & Die etiam Septimo. LXX. ut scopulum vitarent, *Die sexto*, non *Septimo* reddidêre, ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ. Ast D. Hieronymus in *De Traditionibus Hebraic.* inquit: *Arctabimus igitur Iudæos, qui de otio Sabbati gloriantur, quòd jam tunc in principio Sabbatum dissolutum sit, dum DEUS operatur in Sabbato, Complens opera sua in eo.* Immò *In eo requievit DOMINUS ab universo opere*, auctore etiam Mose ipso, qui istoc subdidit. Quod utrunque & aliter non factum, constat & pariter indubium. Atenim fieri utrunque in proclivi est, modò jam nostra Oeconomia rerum utique adrideat. Nam cùm id temporis, quo conditus Orbis, quia Instantis scilicet fuit spatium, individuum corpusculum, jure, & meritò pro nihilo possit reputari; si temporis particula

cula exſtitit Septimi Diei (ipſa item & Prima Temporis Particula) vel minimum non abſtuliſſe Divinæ vacationi, Septimo Die definitæ, adſerere ſit.

PROINDE eo etiam nomine, quòd genita videlicet in Septimo Die fuiſſent omnia, Sacrum eum haberi non ſolùm Hebræis, verùm etiam Græcis, oſtendit Clemens Alexandrinus Lib. v. *Stromat.* verbis iſtis: Ἀλλὰ καὶ τὴν ἑβδόμην ἱερὰν οὐ μόνον οἱ Ἑβραῖοι, ἀλλὰ καὶ οἱ Ἕλληνες ἴσασι· καθ' ἣν ὁ πᾶς κόσμος κυκλεῖται τῶν ζωογονουμένων, καὶ φυομένων ἁπάντων. *Quin etiam Septimum Diem eſſe Sacrum, non ſolùm ſciunt Hebræi, verùm etiam Græci. per Quem Univerſus Mundus circumagitur eorum, quæ viva gignuntur; & omnium, quæ producuntur à naturâ.* Quod & miris firmat Theologorum Gentium teſtimoniis. Homeri iſthæc ſunt ex pluribus pauca:

> Ἑβδομάτη δ' ἤπειτα κατήλυθεν ἱερὸν ἦμαρ.
> *Septenuſque Dies fuit, in quo cuncta peracta.*

Callimachi iſta:

> Ἑβδομάτη δ' ἠοῖ καί οἱ τετύκοντο ἅπαντα.
> *Omnia ſeptenáque Die perfecta fuêre.*

Et rurſus:

> Ἑβδόμη εἰν ἀγαθοῖσι, καὶ ἑβδόμη ἐστὶ γενέθλη.
> *Septimus inque bonis, Natalis Septimus illi eſt.*

Mundo

Mundo videlicer. Er parcimus aliis. nam haut ſemel viſi ſunt, Veritatem varicinari ſeducti; & Ejus haut conſcii divinitùs atteſtari.

ITAQUE poſtremò (ut tot præmiſſa jam liceat ad θέσιν Quæſtionis aptare, finemque noſtræ imponere commentationi) qui Sex dierum ſpatium, quod præceſſiſſe cogitant, ab Heptahemero ſecernunt, donántque illud primo integro Capite Geneſeos, eximiúmque eum proponunr lucubrationibus ſuis laborem, præferunt ſanè illi Maximi Viri quod, quanquàm eximium ſit, & egregium argumenrum, imaginarium tamen quid, fas eſt, exiſtimari, & quod non fuit unquam exiſtens: Et pari ratione perperàm ipſos Septimum Diem, qui potior erat, & reapſe integrum Heptahemeron, à corpore Heptahemeri Magni diſcerpſiſſe; nec non perperàm æſtimaſſe minoris. Quod diſceptatione evincere ſubitaneâ, nobis decretum in præſentiâ jam fuit. Faxit DEUS OPT. MAX. ut haut inglorium IPSI ſirinprimis futurum.

SECTIO

SECTIO VI.

CAPUT secundum Geneseos in hodie Vulgatis geminum Exordium habere, animadvertitur: itaque, amoto supposititio, & loco proprio annexo, aliud relinqui. In hoc duplex Constructio Orbis etiam subindicatur, Vera uberiùs, & Adumbrata breviùs. Utraque rursus obiter expenditur. Interpretatio adhibetur Allegorica germani Exordii, ubi & insuper adstruitur Inventum DE DUPLICI TERRA, *suffulciúntque testimonia ex Libb.* Zohar, & Rabboth. *Tenebræ in Litteris Sacris impios, & peccatores notant. Obscuræ sententiæ ejusdem Exordii nova lux admovetur; unde & duplex agnoscitur Mundus, Intelligibilis, & Sensilis. Firmatur item Universi Opificium in Puncto temporis expensis Clementis Alexandrini verbis; & ex ipsis illis Exordii duplex ille Mundus eodem in die confectus, aut potius duplici instanti. Inlustris interpretatio Philonis ad locum ipsius Exordii obscurum, ridicula Rabbinorum. Controversi alius loci ejusdem Capitis* II. *elucidatio, quæ & adseritur suo Auctori: ac finis disceptationi imponitur.*

AB alieno loco, ubi exulabat Fragmentum Sacrum, cùm in sedem propriam revocatum jam sit; & abiit in Clausulam, quod hactenus Exordium egit: necessariò præterea oportebit relinqui ibidem, quod futurum sit denuò genuinum Exordium. Caput igitur secundum Geneseos, jam dudum est,

quòd

quòd duo Exordia fuerit ſortitum: Primum ſcilicet hypobolymæum, alterum verum, atque germanum. Illi autem cùm operam noſtram, ut amoveretur, dederimus multis; paucis Hoc adſtruere, inluſtraréque, nunc etiam nobis ſupervacuum non eſt, aut ἀπροσδιόνυσον. Satis ſaltem faciemus præliminari Inſcriptioni; cùm plures adeò ſint, ut fidem non ſolvant; & *propter quas vadimonium deſeri poſſit. At cùm intraveris, dii, deæque, quàm nihil in medio invenies!* (proclamat Major Plinius in Præfatione) Maturiùs quippe lactis gallinacei ſperare poſſis in volumine hauſtum.

Duplicem Univerſi Conſtructionem memoriæ Divinum Scriptorem prodidiſſe, ſatis viſum anteriùs: Primò illam, ſtuporem cogitanti incutientem, In inſtanti omnino perfectam, primis expreſſam verbis illis: *In principio creavit* DEUS *Cælum, & Terram.* Secundò aliam, modò ut rude genus hominum adſequi mente quiret, per intervalla temporis confectam. Hac ideò fusè proſecutus eſt ampliſſima opera, quæ Sex dierum intercapedine quaſi architectatus eſſet DOMINUS. Verum enimverò, completis omnibus, quæ voluit veluti Hebdomade illâ contineri, pergere cupiens ad exa-

ctam magis quorundam indaginem, res quippe forent primariæ totius Opificii, præmittit ἐν κεφαλαίῳ, sive *summatim*, ac repetit in antecessum, quæ uberiori oratione præcessissent. Primo tamen loco (ab ordine quippe non aberrat) compendiariam scilicet Constructionem, quæ paucis illis jejunè exprimi videbatur, apertiùs rursus explicat; ut jam hæsitandi vel morosis hominibus aditus præcluderentur. En ut orditur iteratum sermonem Cap. II. comm. IV. אֵלֶּה תוֹלְדוֹת הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ בְּהִבָּרְאָם בְּיוֹם עֲשׂוֹת יְהוָה אֱלֹהִים אֶרֶץ וְשָׁמָיִם׃ *Istæ sunt generationes Cæli, & Terræ, quando creata sunt* IN DIE, *quo fecit* DOMINVS DEVS *Cælum, & Terram.* Quæ ut disertiùs rem expediant, ac proferant, suprà memoravimus. *Generationes* hîc passivè dicuntur, sensus nanque est, Isthæc sunt, quæ genita, & creata fuere. quod exposuit Vulgatus Interpres, reddens id, quod subditur, בְּהִבָּרְאָם, scilicet *quando creata* sunt. Porrò jam quæ sequuntur, &c. וְכֹל שִׂיחַ הַשָּׂדֶה *Et omne virgultum agri*, &c. ad Adumbratam alteram, & Allegoricam molitionem spectant: designat verò eam brevibus notis, abundè quippe notam ex proximis verbis, contentis toto propè Capite primo. Notæ tamen illæ, quas nunc subjicere comperimus, dignæ quoque sunt & accuratâ disquisitione.

SED

SED anteriùs addimus hîc quid ſenſus Myſtici eorundem verborum, licet parùm ſimus proclives in id genus ſenſus conſectandos; ſed proximus ſanè, quem proferam, Litterali eſt, Judæis doctoribus פשט vocato. quaſi *Nudo*, haut ineptè. Sumpſimus ex Libro *Zohar*, omnium Commenrariorum in Pentateuchum antiquiſſimo, qui & totus Cabbaliſticus eſt, & Allegoricus. Verba ergo: *Iſtæ ſunt generationes Cæli, & Terræ*, mulriplicem vulr continere Myſticam ſignificationem: potior verò, quam prærulir, habet, ex interpretatione Ludov. Capelli, Eo nimirum Cap. II. & illo Cap. I. *In principio creavit* DEUS *Cælum, & Terram*, Duplicem à Moſe proponi Mundi Creationem. Quæ Duplex Creatio non eſt intelligenda de geminâ Mundi hujus [puta *Cæli*, hoc eſt, *Aëris*, & *Terræ*, ut alibi diximus] materialis fabricâ; potiùs ut altera Creatio ſit, altera ejus rurſus Renovario, ut loquutus Cicero. altera quippe alreram eſſer veluri abolitura, & deletura, poſterior nempè priorem; id eſt, quòd prior illa Mundi conſtirutio immutanda forer, ut locum poſteriori cederet. Multijugâ hocce comprobarione aſſeverar, quà veterum Rabbinorum, quà auctoritatum Sacræ Scripturæ; nos verò paucis

prosequemur. In primis illud est, quod sanxerunt Hebraïci Magistri: *In omni loco ubi est* אלה, *ibi* פסל *profanantur priora. Sensus est, his Mosis verbis* אלה תולדות *hæ sunt generationes Cœli, & Terræ, significari quandam Mundi Novam Creationem, per quam antiquatur, veluti & aboletur prior illa, quæ significata fuit à Mose, Capite præcedente verbis illis: In principio creavit* DEUS *Cælum, & Terram.* Innui sanè sic apto allegoremate Mundi primi obliterationem per Cataclysmum, quam adseruimus in Dissertatione DE DUPLICI TERRA, Renovationémque iteratam ejusdem, quod nostrum Inventum ibidem jam patet, liquebit adeunti Zoharis illam Elucidationem, in eámque Exercitationem Capelli; potissimùm autem conferenti hocce interpretamentum cum aliis. Addit item Auctor *Rabboth* in eundem locum: *Hîc quia dicitur* אלה, *profanat præcedentia. Quid profanat? nempè Tohu vabohu [desolatam, & vacuam* Terram Cap. I. Gen. comm. II.] *& Tenebras.* Quibus subindicari vult Tellurem ante Diluvium, flagitiis hominum infectam, everti, ac deleri oportere prolatione secundæ. Per *Tenebras*, enim impios, & sceleratos adumbrari, sententia est etiam Zoharis, absorbendos nimirum

mirum aquarum universali exundatione. *Et illi* denique *sunt*, ibidem subdit, *pro quibus Noë non intercessit*: quia invitationi ejus ad pœnitentiam non paruerunt.

PROGREDITUR Moses, & comm. v. ait וְכֹל שִׂיחַ הַשָּׂדֶה *Et omne virgultum agri.* ubi בּיוֹם IN DIE subauditur. scilicet, *Et* IN DIE, *quo fecit* DEUS *omne virgultum agri*, &c. Omnia ut indicet Unico Die confecta, & quæ Terræ sunt, in Terrâ videlicet contineri; & quæ Cælorum, in Cælis. Illud præterea ejusdem Diei magnum est, quod subjungit, & protinus forsitàn non patet: *In* DIE, *quo fecit* DOMINUS DEUS *Omne virgultum, ante quàm esset in Terrâ*; *& Omnem herbam, priusquàm germinaret.* Nempè eodem Die & cuncta fuisse, nec adhuc tamen extitisse. Cui petendum clarorem, certo certius est, ex illis Græcorum Sapientum, quæ pluribus docentur à Philone Lib. *De Mundi Opif.* Nonnulla ego non gravabor proferre, licet sint longiuscula, adfulgent nanq; subobscuro loco opportuno splendore: προλαβὼν γὰρ ὁ Θεὸς, ἅτε Θεὸς, ὅτι μίμημα καλὸν οὐκ ἄν ποτε γένοιτο καλοῦ δίχα παραδείγματος, οὐδέ τι τῶν αἰσθητῶν ἀνυπαίτιον, ὃ μὴ πρὸς ἀρχέτυπον καὶ νοητὴν ἰδέαν ἀπεικονίσθη, βουληθεὶς τὸν ὁρατὸν τουτονὶ κόσμον δημιουργῆσαι, προεξετύπου τὸν νοητὸν, ἵνα χρώμενος ἀσωμάτῳ

καὶ θεοειδεστάτῳ παραδείγματι, τὸν σωματικὸν ἀπεργάσηται, πρεσβυτέρου νεώτερον ἀπεικόνισμα, τοσαῦτα περιέξοντα αἰσθητὰ γένη, ὅσαπερ ἐν ἐκείνῳ νοητά. *DEVS enim ubi, ut pote DEVS, prævidit, Imitamentum pulcrum non posse absque Exemplari pulcro existere; nec sensile quicquam perfectum probari posse, quod non archetypo intelligibilis ideæ respondeat. Postquam decrevit visibilem huncce Mundum condere, prius formavit Simulacrum ejus Intelligibile, ut ad Exemplar Incorporei, DEOque simillimi, Corporeum absolveret Mundum, recentiorem hunc antiquioris effigiem; totidem complexurum sensilia genera, quot in Illo intelligibilia.* Quod & exemplo periti Architectonicæ, amplam valde Urbem condituri, firmare satagit. ac postea subdit: τὰ παραπλήσια δὴ καὶ περὶ Θεοῦ δοξαστέον, ὃς ἄρα τὴν μεγαλόπολιν κτίζειν διανοηθεὶς, ἐνενόησε πρότερον τοὺς τύπους αὐτῆς ἐξ ὧν κόσμον νοητὸν συστησάμενος ἀποτελεῖ τὸν αἰσθητὸν, παραδείγματι χρώμενος ἐκείνῳ. *Eodem fermè modo de DEO sentiendum est, qui ubi decrevit ingentem hanc condere Urbem, prius formas ejus concepit: ex quibus postquam Intelligibilem Mundum constituit, ad illius Exemplar hunc condidit sensibilem.* Unde apertè duplex tempus ediscimus constructionis Universi, quibus constare jam possit illa rerum (ita loqui, fas sit) & existentia duplex, quæ aliter inter se pugnare vide-

viderentur. Sic enim adhuc non existerent Sensibiles species, cùm Intelligibilis earum Idea jam existeret. quod dixit Moses: *In Die quo fecit* DEVS *omne virgultum, antè quàm esset in Terrâ; & fecit omnem herbam, priusquam germinaret.* Apertiùs tamen de eodem edocebimur à Clemente Alexandrino, & paucioribus verbis. ait Lib. v. *Strom.* Κόσμον τε αὖθις, τὸν μὲν, νοητὸν οἶδεν ἡ βάρβαρος φιλοσοφία, τὸν δὲ, αἰσθητόν· τὸν μὲν, ἀρχέτυπον, τὸν δὲ, εἰκόνα τοῦ καλουμένου παραδείγματος· καὶ τὸν μὲν, ἀνατίθησι μονάδι, ὡς ἂν νοητόν· τὸν δὲ αἰσθητὸν, ἑξάδι. *Et rursus Unum quidem Mundum novit Barbara Philosophia, qui percipitur Intelligentiâ; Alterum verò Sensilem: Illum quidem Archetypon, Hunc verò Imaginem ejus, qui Exemplar dicitur. & illum quidem attribuit Unitati, ut qui percipiatur Intelligentiâ; Hunc verò, nempè Sensilem, Senario.* Quæ & aptè consentiunt cum prædictis de Mundo, puncto temporis genito. nam, ut superiùs visum, & Cogitatu operatur DEUS. id est, quæque percipiuntur Divinâ EIVS Mente, atque Intelligentiâ, præstò EI omnia sunt absoluta, & perfecta. Sensilis itaque Mundus constructus exstitit in Instanti, ut pote qui & Intelligentiâ in Instanti conceptus: eáque propter recta Philosophia eum attribuit Unitati. Atenim etiam Sensilem,

cùm

cùm & sub imbecillitatem ille cadat sensuum; quasi Senario Numero Dierum conditũ præbet eadem Philosophia, quam *Barbaricam* appellant Græci, & cujus Antesignanus Moses fuit. Exinde verò cum Platone non pauci cati homines illudmet hauserunt, uti ex Operibus eorum superstitibus notum, innuuntque adducta verba Clementis Alexandrini.

Et Historicus ipse Sacer ostendit etiam haut obliquo sermone, Duplicem Mundum, videlicet Intelligibilem, & Sensilem, Uno & eodem Die exstitisse confectos. De eodem Die loquitur, cùm tectiùs dicit: *Istæ sunt generationes Cæli, & Terræ, quando creata sunt* IN DIE, *quo fecit* DOMINUS DEUS *Cælum, & Terram.* Et cùm apertiùs subjicit: *Et* IN DIE, *quo fecit Omne virgultum agri, antequàm esset in Terrâ; & Omnem herbam, priùs quàm germinaret,* &c. Immò, ita ego existimo, & duplici duntaxat instanti. Non ergo quòd unum non sufficeret: supra jam prædicantem audivimus Scripturam: Διενοήθης γὰρ, καὶ ἐγενήθησαν ἃ ἐνενοήθης. *Cogitasti enim, & facta sunt, quæ cogitasti;* sed potiùs ut interfuisset quid intervalli, quo alter Mundus alteri præcesserit, juxta hujusce Divini Contextus sententiam, quæ patesit jam ex prædictii Philonis, & Clementis.

Veram

Veram nanque eam esse, & germanam præ quibuslibet aliis doctissimorum hominum, constabit illos consulenti. Miror tamen hactenus prætermisisse, cùm ipse Philo rursus, & disertioribus verbis prodiderit. Longè mox ab eisdem, quæ suprà protulimus, & ejus isthæc sunt: Ἐπιλογιζόμενος δὲ τὴν κοσμοποιίαν, κεφαλαιώδει τύπῳ φησίν· Αὕτη ἡ βίβλος γενέσεως οὐρανοῦ, καὶ γῆς, ὅτε ἐγένετο, ᾗ ἡμέρᾳ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ πᾶν χλωρὸν ἀγροῦ πρὸ τοῦ γενέσθαι ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ πάντα χόρτον ἀγροῦ πρὸ τοῦ ἀνατεῖλαι.] Ἆρ' οὐκ ἐμφανῶς τὰς ἀσωμάτους καὶ νοητὰς ἰδέας παρίστησιν, ἃς τῶν αἰσθητῶν ἀποτελεσμάτων σφραγῖδας εἶναι συμβέβηκε; πρὶν γὰρ χλοῆσαι τὴν γῆν, αὐτὸ τοῦτο ἐν τῇ φύσει τῶν πραγμάτων, χλόη φησὶν ἦν. καὶ πρὶν ἀνατεῖλαι χόρτον ἐν ἀγρῷ, χόρτος ἦν οὐχ ὁρατός. Ὑπονοητέον δ' ὅτι καὶ ἑκάστου τῶν ἄλλων ἃ δικάζουσιν αἰσθήσεις, τὰ πρεσβύτερα εἴδη καὶ μέτρα, οἷς εἰδοποιεῖται καὶ μετρεῖται τὰ γινόμενα, προϋπῆρχε. *Deinde per Epilogum Creationem Mundi summatim memorans, inquit* [Moses:] *Hic est Liber Generationis Cæli, & Terræ, quando creata sunt Die; quo fecit* DEUS *Cælum, & Terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in Terrâ; omnemque herbam agri, priusquam germinaret.] An non manifestè Incorporeas, & Intelligibiles Ideas memorat, quibus tanquam annulis signatoriis exprimi res Sensibiles contigit?* * *Priùs enim quàm Terra virgultum proderet,*

* Satis propriè, modò Ideas hasce designasset increatas, & æternas.

deret, ait, in rerum naturâ virgultum ipsum fuisse; & priùs quàm herba in agro existeret, herbam fuisse Invisibilem. Subintelligendum autem, Quòd & antè singulas res alias, quas sensus indicant, antiquiores effigies, mensuræque, quibus effigiantur, & metiuntur, jam fuerant. Abjuraverat quidem Judæus iste Rabbinicam intemperiem, ac desipere cum pluribus suis desierat: quocirca eum de illis excepisse interpretem, satis nobis nunc erat. Nihilominus ceteros ecce tantillum nugari, hîc patimur, ut jocum modò risúmque faciant paullisper studiosi. En cuneus, quo nodum scilicet recutiti solvunt implicati loci. Volunt enim, Herbas, & plantas, etiam arbusta, cùm tertio die à DEO creata sunt, non emersisse è Terrâ, sed ad superficiem usque extremam Terræ pullulasse. Sextâ demum die post creatum hominem, qui coleret; & demissum imbrem, quo Terra fecundaretur, eminuisse foràs. Interea ergo & fuisse, & non fuisse herbas, ac virgulta, dicunt. Et, adhuc *non enim pluerat* DOMINUS DEUS, subjungit Scriptura, *super Terram, Et homo non erat, qui operaretur Terram.* Quod aptè & hoc reverâ, probéque, cui antecessit, subnectitur: In Mente nanque Divinâ cùm existerent omnia, nec germinibus Telluris,

ris, nec plantis opus fuit & pluviâ cælesti, & agricolatione. Quæ sententia est gemina germana integri loci.

DEINDE Moses pergit potiora Capita Divinæ Fabricæ recensere. Ac diverso planè respectu ea (sic indubium remur) quæ & cum antecedentibus non cohærent, subdit comm. VI.

6 וְאֵד יַעֲלֶה מִן־הָאָרֶץ וְהִשְׁקָה אֶת־כָּל־פְּנֵי הָאֲדָמָה׃

6 *Et vapor ascendebat de Terrâ, & irrigabat universam faciem Terræ.*

7 וַיִּיצֶר יְהוָה אֱלֹהִים הָאָדָם &c.

7 *Et formavit* DOMINUS DEUS *hominem*, &c.

8 וַיִּטַּע יְהוָה אֱלֹהִים גַּן &c.

8 *Et plantavit* DOMINUS DEUS *hortum*, &c.

Ac nonnulla sic alia. Quid autem difficile magis verbis illis comm. VI. וְאֵד יַעֲלֶה מִן־הָאָרֶץ וְהִשְׁקָה אֶת־כָּל־פְּנֵי הָאֲדָמָה׃ *Et vapor ascendebat de Terrâ, & irrigabat universam faciem Terræ*, ut juxta Hebraicum Exemplar habentur, forsàn in Volumine Sacro non sit: maximè verò ut Interpretes hactenus verba reddidêre. Indè egregiè Expositores inter se digladiantur; & meritò sanè: quilibet nanque bono jure ceteros refellit. Placita eorum,

rum, ac dividias referre, molestum foret: etiam inutile, nutantibus quippe fulcris nituntur; itaque statim corruunt, cùm inter se non implicantur. Ceterùm Gonzalus Correas, Professor olim primarius in Salmaticensi Academiâ Hebraicæ, & Græcæ, Linguarum, Grammaticissimus homo, si unquam ullus inter Orbilios fuit; & à cujus Paradoxis, & Commentis Litteratis, cis tamen pædantismum, severo vultu contingat raró discedere, senis aut septenis retrò lustris ingenti conamine, ac prolixâ oratione locum hunc interpretari adgressus est. De sententiâ suâ monere voluisse doctissimum Joann. Marianam, cùm Scholia in Sacram Scripturam elucubrata edere maturaret, palàm ibidem effert. Ejus & ipse Mariana meminit, non tamen, licet minimè indecorè liceret, nominatim. In eampse ergo, ut hîc modò ego proferam, nam quid haut pusillum denuò inlustrationis adhibuerim, magis inclinat animus. Ecce hujusmodi est.

HEBRÆUM אד *Ed*, quod *Fons* hîc vertit Vulgatus, ut πηγὴ LXX. ac *Vapor* plures alii, nonnulli verò ex Paraphrasi Chaldaicâ *Nubes*; Gonzalus probè cepit *Aquarum Gurgitem*, Oceanúmve, quo Terra videlicet submersa fuit, ante-

antequàm vis ingens, ac moles earumdem Aquarum in unum congregaretur locum, & Terra die tertio prodiret. *Abyssus* dicitur & Gurges ipse Cap. I Genes. comm. II. Illam nunc Aquarum Abyssum, ac voraginem respicere nunc Mosem, & illuc isthæc in præsentiâ referri, cùm per ἐπιλογισμὸν, quæ antecesserant, repetit, sententia est, quæ nobis probatur. Verba enim & libenter edicunt. אֵד sanè illud propriè designat eum *Gurgitem*. Sic ex commate XXVII. Capitis Jobi XXXVI. liquet. *Qui aufert stillas pluviæ, & effundit imbres ad instar* GVRGITVM. Verba sunt Interpretis Vulgati, ubi & eâdem dictione Contextus Hebræus utitur. Inde & Rabbini, qui de voculis argutantur, *aduada*, sive *adffada* deducunt; quod Fluctui vasto Maris jam pridem indidêre. Ibi igitur Mosi *Oceanus*, sive *Aquarum congregatio* aptè indicatur, cum respectu scilicet ad præmissam Abyssum; nam inundationem amplam fluctuum perhibet vox: hoc est, primigenium Fontem, & Aquæ Elementaris originem, ac stirpem.

Deinde יַעֲלֶה מִן־הָאָרֶץ *Jaale min haarez*, verti oporteret, *ascendebat altior præ Terrâ:* passim quippe & particula *min* comparationis est.

Illa autem &c. וְהִשְׁקָה *vehisca* &c. & *irrigabat*,

aut *irrigans universam faciem Terræ*, videtur addidisse, apertiùs ut exponeret mentem nostram. Ipsa per se patent: & Græcis Inrerpretibus, καὶ ἐπότιζε, *inundabat*, est, ac *madefaciebat* universam Terræ superficiem. Sonat ergo integrum comma: *Et Fons, Gurgésve ascendebat altior præ Terrâ, & inundabat universam faciem Terræ.* Adrisisse postea & Cornelio à Lapide, conjicimus. Quod autem extra conjecturam est, Exinde desumptam, quanquàm non indicarit, interpretationem sat concinnam subindicasse.

Atenim Historicus eximius subinde pergit, luculenter explicare prælustria quædam Opera, quæ strictim anterius meminerat. Hominis Fabrica primum est: *Formavit igitur* DOMINUS DEUS *hominem* &c. Deinde, Plantatio Paradisi: *Plantaverat autem* DOMINUS DEUS *Paradisum* &c. Tertium, Hevæ ex costâ Adami Constructio: *Immisit ergò* DOMINUS DEUS *soporem in Adam:* &c. Ast subsequi nos, jam hîc desinimus, ac progredi. Olim, haut ægrè ut nunc, sed alacri fors ingenio, scriptis prosequi Eum, animus est: si tamen dederit DOMINUS, Cui

HONOR SIT, ET GLORIA IN ÆTERNUM.

Sed

SED heus, Auditor erudite, adhuc non patior, Te & post PLAUDITE abire. Paulisper sis mane, paucis verbis te volo. Dum operâ utor hominis trapezitæ, ingenii prorsus instar Plautini Euclionis, ut ociùs perveniret nostrum Autographum harumce Dissertatiuncularum ad Typographum præstantissimum, factum scilicet est, ut ultimum fragmentum Mari commiserit; redimere studens sordidam mercedulam vecturæ, quæ cariùs terrâ per tabellarium constat. Sed semel ecce Bona Mens in capite quodam FERREO, quanquàm ad aurem ejus nondum Epigrammatarius insusurrarit,

Non aliter mitti debuit iste Liber.

Vtcunque igitur fuit, in aquas, uti conjicere fas est, abjectum latuit, latétque adhuc annum fermè integrum. Accinxi tandem me post longam

gam

gam cunctationem, quid aliud agerem? ut Opellæ repeterem complementa: infectam quippe editionem relinqui, vel ipsi neutiquàm sustinerent ornatissimi Typographi, amicíque. Palimpsesti jam schedulas hinc inde conlegeram, veluti folia Sibyllina: nihilominus parùm profeceram, irrito nempe, ut cohærerent, labore; tumultuario nanque jampridem, ut ingenium est, & otium, descripseram, ac desultorio studio. Denuò itaque haut publici saporis Opusculum ferè compingendum fuit, atq; coagmentandum, ut hîc præstitimus: nunquam enim inutiles sunt secundæ curæ. Nec supervacuum futurum, sat bene scimus, Nostratibus rationem reddidisse adeò importunæ moræ. Ast nefas omnino est, diutulam modò tibi abiturienti injicere: Iam licet hinc discedere: abi, & vale.

ADDENDA
IN DISSERTATIONE
DE DVPLICI TERRA.

PAG. 10. Lin. 7. post *doctissimi:* adde: Omnia verò, & Plura quoque alia, edissertare, mihi in animo est, quòd ad Terræ potissimùm conducunt Disciplinam, Dissertationis Argumentum.

Pag. 26. lin. 18. post *Hebraism.*] adde: ac tandem subdit: וְהִנְנִי מַשְׁחִיתָם אֶת־הָאָרֶץ׃

Pag. 29. lin. penult. post *erat.* adde: Nec aliò tendunt, qui, prorsus inscii quoque ortæ denuò Telluris, collegerunt cum Francisco Georgio Problemate LVIII. Tom. I. ex vaticinatione Lamechi, Maledictionem, quam DEUS pro peccato Adami inflixit TERRÆ, durasse duntaxat ad Noachum usque; eo nanque vivente omninò fuisse sublatam. Quod de Recenti TELLVRE capi oportere, liquet. Alioquin ratiunculæ, quas, ut persuadeant, suggerunt, quippè coactæ adhibentur, eruditis non arrident.

Pag. 41. lin. 16. post *sunt.* adde: Ambigere nihilominus videtur Drusius, cùm ibidem interrogat: *Sed quid? An ille alius Mundus ab eo, qui nunc est?* Ac confestim respondet: *Quoad substantiam unus & idem est, quoad qualitates fortaßè aliqua diversitas. Sic qui nunc est, peribit aliquando quoad qualitates, non quoad substantiam.* Palpant enim in tenebris, & veritatem cæcutientes attingunt, non tamen sentiunt.

SECTIONUM SYLLABUS ET LEMMATA.

SECTIO I.

Ingressus ad Disputationem, An Scriptores veteres fuerint edocti, Contextum suorum operum Sectionibus distinguere? Planum fit, Aristotelem id nescivisse, qui à Copiâ commendatur, & à Præstantiâ Scriptorum. Idem de Poëtis Epicis adstruitur, & in primis de Homero. An ipse Poëmata reliquerit litteris descripta? Cani per partes solita; Item in Theatris recitari ab Actoribus Tragicis. Discerpta in ejusmodi fragmenta, ac Titulis designata, olim duntaxat vetustiores habuisse videntur. Coaluerunt deinde in Iliadem, & Odysseam: ac tandem in Libros discrevêre. Quod studium Grammaticorum habitum, sed Criticorum. Herodotus etiam continenter Historiam contexuit. etiam Thucydides. Post aliquot secula Scriptores Divisionem Librorum adhibuerunt, non tamen exiguas magis subdivisiones. Pag.126.

SECTIO II.

Dum Auctores Historiæ Naturalis aptè distribuunt eam in Libros, ineptos Capitum metatores subinde perpessi sunt. Id in Theophrasto Eresio visum, & exemplo patefactum. Etiam in Plinio, qui præiverat, ipse designans loca, ubi Capitum limites forent terminandi. Nonnulli jam notarunt, & correxerunt nonnulla. De Pomponio Melâ nunc primùm idem observatum. Initio per summa rerum capita præmisit Operis Ideam; ubi cum illo Plinius componitur. Sedulò de numero Librorum Plinii inquiritur. Exempla exhibentur ineptæ digestionis, quâ per Capita hodie distinguitur Mela. Pag.134.

SECTIO

SECTIO III.

Transitus fit ad Sacros Scriptores, sed præpostero adhuc cursu: & inprimis de Quatuor Euangelistis instituitur sermo. Plura præterea Euangelia prodiêre, sed respuenda prorsus. Familia inter Sectarios fuit à Caino deducta, quibus documento erat Iudæ traditoris Euangelium. Græca Exemplaria olim Novi Testamenti interstingui non solita, præterquàm notulis ad marginem quibusdam. Diversè tamen quippe distingui illud subinde consueverat, nullâ primitùs sectione descriptum fuisse, argumento est. Multiplex fuit Symbolica prædictio Quatuor Euangelistarum. Testimoniis comprobatur varietas illa Sectionum. Abundè exquiritur, quánam occasione, ac consilio, accesserint Illi ad Euangelicam contexendam Historiam? Sed habitâ tunc ratione potissimùm videtur Veritatis, ac Doctrinæ: posthabito ut plurimùm rerum gestarum ordine. Quapropter Euangelia ipsa aptè possunt Historica Adversaria indigitari: unde tamen & contexi quiret Historia numeris suis absoluta. Ioannes servare dicitur ampliùs gestorum seriem. Diversus Sectionum numerus ac forma tandem memoratur Quatuor Euangeliorum. Et tituli quidam recensentur, quibus & Ipsa designari solita, ac discerpi. Pag. 144. 145.

SECTIO IV.

Ad Mosem deventum, Primum, in Sacris, atque Profanis, Scriptorem. rationi ideò non consonat, Scripta sua distinxisse illis Sectionum pigmentis, quæ plures adhuc recentiorum non adhibuerunt. In templis Antiquiorum,

antequam gesta Scriptis mandarentur, condita rerum nonnulla monumenta, quæ in publicum non exibant. Moses an Litterarum Inventor? Sed Vindex potiùs fuit: ac forsàn Litteras à DEO *habuit, quas Samaritani retinuerunt. Præstantiâ item* PRINCEPS *Moses Scriptorum, non tamen ideò quas inferior ætas distinctiones invenit, tum primùm eidem in usu forent. Immò integer Pentateuchus, ortus ab Illo contextus unus æqualis, & continuus, sine ullâ Librorum interruptione. Ipse Quintuplex Liber simpliciter* LEX *vocatur,* THORA *Hebræis. Turpis error Philonis. Quando* LEX *Sectionibus interstincta, nescitur prorsus. Hebræi Magistri sibi arrogant, & pariter Græci. Multiplices Sectionum species denique memorantur, quæ propriæ Pentateucho.* Pag.156.

SECTIO V.

Certamen instituta Animadversionis tandem committitur. Nil externum magis ab Historiâ Sacrâ, quàm Ejus Sectionum interstinctio. Munus id Interpretum fuit Catholicorum, ad quod quandocunque patet aditus. Orbis universus punćto temporis conditus à DEO; *Sex dierum spatium superfluit: eo Moses abusus ratione diversâ. Universi opificium Heptahemero narratur contineri. qui Septimum Diem ab eo separat, Codici adversatur Sacro. Moses copularat, secrevit ille, qui exordio Capitis secundi Genescos annexuit. Palàm istoc fit conlatione pristinæ cum nostrâ distinctionis. Aptè Lector videretur quiescere, ubi requievit* DOMINUS. *Septimus Dies, Sabbathúmque, requietioni opportunum. Ut planiùs adhuc constet, immeritò agi*

cum

cum primâ Hebdomade ab illis, qui ultimum diem ejus divellunt, Effata quædam producuntur. Primum, Proba, Diei bipartita divisio in Naturalem, & Civilem. Alterum, Ipso Meridie productus Mundus universus, & fusè patescit longéque Meridiem excellere. Exinde Dies Naturalis sumit exordium. Ita in usu Astronomis, Populis pluribus, qui à Druïdis habuerunt. Tenebræ Luce priores, quod & Gentilibus notum. Vespera incipit à Meridie, atque abundè probatur. Duplex Vespera, terminis suis definiuntur. Manè inchoatur à mediâ nocte, & vocatur Aurora: exinde ascendit, ideóq; Atra Hebræis habebatur. Item Aurora proxima Vesperæ, Nocti. Expenditur locus Nonni in Paraphrasi Ioannis Euangel. Tertium Præmissum, In Instanti Progenitus Mundus, & strenuè denuò confirmatur rationibus. Percurritur Caput primum Genesεos; in Partes dispertitur, exhibetur, inlustratur. Primis ejus verbis Orbis ipsamet Partes omnes sat commodè inclusæ. Septimo Die & cuncta ea effecta, idque adsertum Gentium Theologis. Denique ex Præmissis conligitur, Fabricæ Sex dies, quos mente complectimur, unicum fuisse Meridiani temporis punctum, & septimi Diei; Eumque Heptameri verum solùm, ac Naturalem Diem, benedictum à DEO, *&* EI *sacrum; inprimis ideò & memorandum Mundi Opificio. Qui verò ab illo sejungunt, spatium ullum temporis, quod Hexamero suo contineatur, Primæ Hebdomadi non relinquunt.* Pag. 168. 169.

SEXTIO VI.

INDEX

INDEX SCRIPTORUM VETERUM

qui in Mantissâ memorantur.

Cri-

INDEX
RECENTIORVM.

INDEX
RERVM & VERBORVM
in hoc Opere notatu dignorum.

A.

Cama-

M.

N.

Numini

O.

P.

R.

LECTORI.

DUm longè adeò à Typographo abſumus, licet Exemplar noſtrum dederimus ſuperſtitioſè deſcriptum, nihilominus operæ emendatiſſimæ Officinæ ſphalmatis aſperſerunt nonnullis exiguum Opuſculum. Cùm autem raptim percurrimus, quædam animadvertere licuit, de quibus monere ſuperciliofum Lectorem, viſum. Forſitàn plures labeculæ occurrent, quę fugerint nos, & potiores forsàn, interea tamen iſtas emaculare, operæ erit hujus pretium nonnullum.

IN DISSERTATIONE.

P*Ag*. 15. *lin. penult.* ſpecimina. *Pag*. 17. *lin*. 11. conligit. *Pag*. 20. *lin*. 22. ἀπαιθῶ. *Pag*. 48. *l*. 16. & ex locis. *lin*. 19. *poſt* conſtaret, *dele comma*. *P*. 54. *l*. 7. Hvc, *litteris majuſculis*. *Pag*. 73. *lin*. 6. Pergit, *litteris majuſculis*. *P*. 83. *l*. 23. & Noëticâ. *P*. 84. *l*. 7. & primævo. *l. ult. poſt* ineptè, *dele comma*. *P*. 95. *l*. 9. *poſt* factum, *appinge* ;. *Pag*. 106. *lin*. 12. *poſt* enim, *appinge comma*. *P*. 131. *l*. 18. *quid*, *dele comma*. *lin*. 19. *ipſe*, *dele comma*. *P*. 136. *l*. 20. Breviarium, *dele comma*. *l*. 22. ſtudioſi, *appinge comma*. *l*. 25. deducta, *lege* diducta. *P*. 222. *lin. ultim.* prædictii, *lege* prædictis.

FINIS.

70

69